ERRICI PVTEANI

SVGAMBRI, AVD. LIPS.

MODVLATA PALLAS,

ſiue

SEPTEM DISCRIMINA VOCVM,

AD HARMONICAE LECTIONIS

Nouum & Compendiarium vſum aptata & contexta

Philologo quodam filo.

34.3.B.2

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MEDIOLANI, Apud Pontianos.

∞. IↃ. XCIX.

Superiorum permiſſu.

Illud Heracleiti Epheſij:

INTROITE, NAM ET HIC DI SVNT,

Agellio in Noctibus citatum,

Paullulùm, niſi quis vetat, commutando,

præfari atque adeò præfigere velim:

INTROITE, NAM ET HIC DEA EST.

Cuius ſiquis à me nomen denuò exigat

ex titulo calabo:

MODVLATA PALLAS *eſt.*

ſiquis munus:

OBLOQVITVR NVMERIS SEPTEM DISCRIMINA VOCVM.

ſiquis plura:

Videri nolo multiloquus.

AD CLARISS. V. IO. VINCENTIVM PINELLVM.

COLLECTIS, nec inuitâ omninò Segeſtâ, primis illis è ſterili herediolo ſpicis, VINCENTI PINELLE, Vir inter optimos nobiliſſime, inter nobiliſſimos optime, inter vtrosque doctiſſime; in manus numerò (ne Ingenij hic mei ager Noualis eſſet, & intermitteretur chartacea illa, vt ſic dicam, ruratio) ſtilum ceu ſtiuam ſumpſi, ſulcos aliquot effodere cœpi, quæque ruſticorum ruri munia ſunt, obſeui, occaui, ſarriui: leuiter tamen, & diutinam ob valetudinem, ſine curâ: propè ſine fructu; niſi quòd fæcundę meſ-

ſis vice STERILEM hanc vocum PALLADEM meſſui, tardâ & ſerotinâ falce. Id operis priuſquàm publicè promo, tibi Vir humaniſſime, ſolenni veterum ritu ſacratum ſiue libatum eo, debitum tuæ priuatæ in me, dicerem & publicæ in Litteratos benignitati, niſi communi cauſſæ muneris vilitate præuaricari viderer. Non ad Amicitiam me tantùm, quod ſummum exiſtimo; ſed Larem etiam vocas; haut indignum liberalitate tuâ ratus, quem non ſpreuerat magnus ille Princeps. Benefica, ſed & magnifica iſthæc inuitatio; &, quemadmodum è Tullij de Officijs libris didici, cum maximo meo honore, commodoq́ue coniuncta. Nam, vt ille teſtatur, *facillimè in optimam partem cognoſcuntur adoleſcentes,*

ſcentes, qui ſe ad claros & ſapientes viros, benè conſulentes Reip. contulerunt. quibuscum ſi frequentes ſunt, opinionem adferunt populo, eorum fore ſe ſimiles, quos ſibi ipſi delegerunt ad imitandum. Scilicet ſine fructu Virtutis atque Doctrinæ magnorum familiaritas, domeſtica inprimis, eſſe non poteſt. & ſicuti illi, qui in Solem veniunt, aut colorem mutant, aut vrentem ſentiunt calorem: ſic nos imi ſubſellij Litteratores, & leui quodam rore Eruditionis tincti, dum vobis grandibus vtimur, aut dotes aliquas amando in nos deriuamus, aut deſiderium aliquod concipimus admirando: tantò quidem maius, quantò propiùs iuncti. De me ipſo, ne aliena ſcruter, exemplum capio, cui poſt Clariſs. IVSTVM LIPSIVM,

æternùm mihi celebrandum, LVDOVICI SEPTALII, doctiſſimi hominis, &, quod inter laudes eius pono, tui amiciſſimi ſuauiſſimus vſus, & ſtimulus ad omne genus Virtutũ fuit, & publicè (amici cauſsâ dicam) ad opinionem Litterarum tantum valuit; vt in limine hoc Italiæ à plerisque amari, à te vocari etiam meruerim, id eſt, maximo honore, & inſigni beneficio decorari. quibus ego quò magis hoſtimentum aliquod concipere cupio, eò minùs queo. Inter pares enim beneficiorum concertatio, & remunerationis copia eſt: tuum hoc in me meritum, vt maieſtate præcellit, ita mutuum non admittit. Ne tamen contemptione ipſius mei gratiam declinare videar, pignoris, ſiue arræ loco Benignitatis

nignitatis tuæ aræ Portum hunc adpono Monetæ Modulatæ, non quem volo, ſed quem poſſum potiſſimùm; exiguæ opis, ſummi animi ſignum. Sterilem inquam meſſem Amoris & Officij bijugo plauſtro adueho. quam pro ſummâ humanitate tuâ, morumq́ue ſuauitate non ſpernes; ſed in horreum illud librorum locupletiſſimum recondes: immò verò ad aream opportunè depromptam lectionis tuæ tribulo triturabis & excuties; iudicij tui vanno ventilabis & polies. Inſpicies, & dijudicabis inſcriptum tibi libellum, non indignum fortè luce & vſu publico, ſi probabis. Vale Clariſs. Vir, & PVTEANVM tuum expecta. Mediolani, Kal. Quinct. ∞. IↃ. XCIX.

LIBRVM
PRODIRE IN PVBLICVM
IVBEO.

In vſum publicum.

QVID lucem refugis libelle? prodi:
Bellum ſic ſatis, & ſatis politum
Vulgi te manibus volo teneri,
Manus quem melior probet politum:
Vulgi te volo mentibus recondi,
Mens quem purior adprobet politum.
Prodi, inquam: neq; quo videre lucem
Ornatu; at magè quo videre fructu
Poſſis, diſpice. PVBLICE placebit,
Qui prodeſſe poteſt. Quid ergò nectis
Moram femineam? Sat es politus.
Si prodeſſe potes, placebis Vrbi:
Si placere potes, ſat es politus.

LECTOR QVISQVIS ES, VIDE, LEGE, NOSCE, & formulam AD EXHIBENDVM ſuſtine:

NOMEN *ecce expunctum imus, et nummis non à Daniſtâ, ſed ab ipſâ* PALLADE *ſumptis*, HARMONICAE LECTIONIS *quam promiſimus, Inſtitutionem damus. vtinam terſum ſatis & exaſciatum opus! ſed præter valetudinem Aetas & Peregrinatio quæſo excuſent, quæ obſtant remoramq́; voluntati meæ faciunt, quo faciam minùs. Per Aetatem quidem ex internodio Pueritiæ ad mediam Adoleſcentiæ gemmam aſſurgere nondum potui: & ſi nonnulli Doctrinæ gratiam ab annis aucupantur, liberè, attamen verè dicam, ante Pubertatis terminum Mercurialibus me Gratijs ne ſacrificaſſe quidem, adeò non litaſſe. Neque iſta in eum proferri finem exiſtimes, vt laudem augeam, ſiquam merui; ſed veniam deprecer, ſiquid peccaui. Scio*

autem

autem non minùs ſæpè honoris adquiri, delicti cuiuſpiam culpam modeſtè agnoſcendo, quàm laudis famam gloriosè demerendo. Decennale verò, ſi Italici itineris moram excipiam, in ſtudijs poſui; ſed, vt adſolet, remiſsionibus, otioq; haut leuiter interruptum: pleraſque tamen ſcientiarum, bonarumq; artium, quibus ornari aut inſtrui iuuenile ingenium ſolet, cum curâ inſpexi et excolui. Amœniorum Litterarum fontibus feſſum nunc animum, haut fractum reficio, atque refrigero ad maius ſtudiorum iter & opus: ad ſcandendum excelſum et tranquillum Sapientiæ illum collem, quò me alter meus altor; quo viri alij magni, doctiq; exemplo, atque monitis ducunt:

Non te vetamus omnium per artium
Campos vagari, quatenùs mẽtem tuam
Ad clariora præparant, non occupant.
Vna aucupanda ſit tibi ſcientia,
Vitæ magiſtra, veritatis regula,
Quæ fingit animos cultibus Sapientiæ.
Qui neſcit illam, perperàm ſcit ceteras.

Peregrinatio autem ad alias mihi, quàm imperiti quidam ſuſpicantur, curas, ad alium finem: videndi ſcilicet, & diſcendi;

in-

inſtruendi ſupellectilem illam prudentiæ & doctrinæ magis, quàm poliendi ad nominis aliquem ornatum. Prior itaq; illa, Aetas inquam, inuenire omnia non permiſit: neque hæc poſterior otiosè ſingula penſitare. Amici autem ſuaſerunt atque adeò perſuaſerunt editionem, fraudare me iuuentutem adſerentes, ſi diutiùs ſupprimerem hanc doctrinam, & occultarem velut nouus Euclio hanc LARE SECRETO *aulam. Amicis ergo morem geſſi; & effodere hoc ſcriptum volui in communem omnium vſum. Volui, immò debui, ſiue amicorum rogationes attendam, quæ pro imperio ſunt; ſiue operis ipſius argumentum, quod pro publico (confidenter dicam) bono. Artem ſiquidem canendi (*HARMONICAM LECTIONEM *voco) quam præceptorum varietas et multitudo difficilem omnibus; difficultas odioſam pleriſque reddiderat, Nouam-veterem, ceu ſcirpum ſine nodo feci; ſine ſpinâ roſam, cuius ne ſimplex ideoq́ debilis odor emunctas nares minùs compleret, floſculos è bonorum ſcriptorum puluillis decerptos, largiter compoſui* PROBAE *et* PRISCAE DOCTRINAE. *Debui itaque; immò auidiùs*

diùs

diùs verò volui. Eſt enim prurigo quædam emittendi operis quod placet: faciliusq́, vt ille ait, ardentes ore fauillas comprimas; quàm probati laboris ſecretum retineas. Sic, Lector, cogita: & ſi me amas, hoc meum ama: cenſuramq́ tuam prome, vt cognoſcam. ſic cautior in continendis reliquis futurus, ſi iuſtè damnaueris: vel liberior in edendis, ſi verè probaueris.

Sed nunc priuſquam ad lectionem te componas,

ERRORES,

ſiue Typographi incuriâ, ſiue meâ ipſius culpâ commiſſos (quos quidem in tranſcurſu obiter notaui) ſic corrige.

Fol. 35	Orphea.
37	Ægide.
43	operæpretium.
73	profluere.
78	longius.
84	primum.
98	hebdomade.
101	roboraſcit.
108	Poſterius.
113	compelles.

LVDOVICI SEPTALII MEDIOL. MEDICI IN ERRICI PVTEANI

Septem diſcrimina vocum

Epigramma.

HACTENVS humanum peragi SEX vocibus omne
Credidit Aonidum docta caterua melos:
Quodq́; rata eſt, homines docuit; normamq́; perennem
Omnibus hanc ſtatuit docta caterua modis.
At nunc (quis putet hoc!) ſex addita SEPTIMA priſcis
Prodit ab ingenio vox, PVTEANE, tuo.
Ergò recens ſtupeat, venturaq́; concinat ætas:
Numina quod latuit, non latuiſſe virum.

IO. BAPTISTÆ SACCI SENATVI MEDIOLANEN. A SECRETIS AD ERRICVM PVTEANVM

Tetraſtichon.

PALLADA *qui referunt modulos didiciſſe ſonoros*
Ex capite anguifero flenteq; Gorgonidum,
Vaniloquos meritò dicam PVTEANE, *putemq;*
Non capite ex alio quàm didiciſſe tuo.

AD CLARISSIMVM VIRVM IVSTVM LIPSIVM DE ERRICO PVTEANO

Hercules Cimilottus Medicus.

INTER nomina ſe quibus teneri
Litteraria res tibi fatetur
LIPSI, iure refert, quòd hunc alumnum
Promas tam variâ Eruditione,
Tantâ conſpicuum Modeſtiaq;
Vt mens ambigat, vtra maior: atque
Per quam promeritus ſit ille de te
Fortaſſis meliùs. Proinde multùm
Is tuâ colitur, ſuaq; cauſsâ;
Coleturq;, quod auguror. Sed ipſi
Ne ſpem fallite quæſo litterati.

IN

ERRICI PVTEANI

Septem diſcrimina vocum

GVL. HVYSMANNI

Carmen.

AN nouus hic ORPHEVS, *qui voce inſignis & arte*
Dulciſonum roſeo fundit ab ore melos?
Qui methodo facili, SEPTENO *flectere.* VOCVM
CONCENTV *lapides, bruta, hominesq́ docet?*
Olim quæ dubÿs priſci docuêre Meandris,
ARTE NOVA *è tenebris eruta cerno nigris.*
Sic veterum obſcuris inuentis addere lucem
Sollerti ingenio te PVTEANE *decet,*
Sic triſtes animi curas, & ſegne veternum
Pellere: ſic Charitum condecorare chorū.
Quàm benè cum COENIS ANTIQVIS *gaudia miſces,*
Quæ mæſtis animis MVSICA *ferre ſolet!*

IN
ERRICI PVTEANI
MODVLATAM PALLADEM,
FRANCISCI MONTMORANTII
Diſtichon.

EN PALLAS ſuperæ liquit modulamina Muſæ,
Dum, PVTEANE, tua plus ſibi in Arte placet.

BENEDICTI NIGRI BRIXIANI.
In eandem PALLADEM
Epigramma.

SISTITO, limpidulis quiſquis te mergere Lymphis,
Nympharumq́; cupis te inſinuare choris:
Et Lymphas PVTEO, & Nymphas PVTEANVS in vno
Cluſit. cum Fidibus iunxit & Eloquium.
Hinc MODVLATA fluunt SEPTEM DISCRIMINA VOCVM;
Aut fluere è ſcatebra dixero Pegaſidum.
Fallor? an Aegiſona hæc PALLAS fors PALLADE nata?
Sic ſterilis pariat. la⁹ PVTEANE, tua eſt.
Sed quo tu ipſe ſatus? nũ PALLADE? PALLADA gignis,
Et Iouis ingenij vim capis & Genij.

THOMAE SEGETI
HEXASTICHON
IN ERRICI PVTEANI
—— Septem diſcrimina vocum

HOC PVTEANE, *libro rediuiuum porrigis Orphea:*
Porrigis hoc viuũ te PVTEANE, *libro.*
In lucem remeant SEPTEM DISCRIMINA VOCVM,
Olim quæ priſcis ſunt celebrata libris.
Quàm PVTEANE, *tibi benè! quàm benè conſulis Orpheo!*
Quã benè jã-ſeclo! q̃ benè poſtgenitis!

EIVSDEM AD LECTOREM
SCAZON.

AGNOSCE *Lector quiſquis iſta delibas,*
*Gen*I *elegantis, ingen*I *dapes ditis,*
Orationis dulce vinulæ nectar.
Orationis dulce vinulæ nectar,
*Gen*I *elegantis, ingen*I *dapes ditis*
Agnoſce Lector, quiſquis iſta delibas.

ER-

MODVLATA PALLAS, ſiue SEPTEM DISCRIMINA VOCVM.

CAPVT I.

Materies operis & inſtitutum. Palladis nomen ad modulos rectè referri. Septenarij numeri ſymbolum apud antiquos.

PALLADEM, quam armatam Antiquitas finxit, ab armis ad modulos transferam; & Aegidi laurum, ſcuto lyram, haſtæ plectrum, aliquâ fortaſsè muneris aut ornatus, at nullâ nominis aut originis commutatione ſubſtituã: vt quæ ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ dicta (Feſtus tamen appellatam ſcribit *quòd Pallantem gigantem interfecerit: vel, ſicut putabant, quòd In Pallante palude nata*

eſt) pro ſpiculo melos deinceps vibret, certanſque cum Apollineo illo choro, iure fiat MODVLATA. Quis vetat? protrita Dei Opt. Max. beneficio atque peſſundata eſt priſca ſuperſtitionis auctoritas, & pro ludo nobis Sacra Dijq; Gentilium. Sed tamen, vt ſuum Antiquitati honorem habeã, præter exemplum veterum nihil innouabo. qui ipſi eundem hunc Iouis fœtum ad Numeros olim retulerunt: PALLADEMQ. Septenarij ſymbolum fecêre, ſiue nomen. Macrobius id diſertis verbis notat, lib. I. in Somnium Scipionis: *Huic autem numero, ideſt, Septenario, adeò virginitatis opinio inoleuit, vt* PALLAS *quoque vocitetur. Nam virgo creditur; quia nullum ex ſe parit numerum duplicatus, qui intra denarium coarctetur, quem primum limitem conſtat eſſe numerorum.* PALLAS *ideò; quia ex ſolius monadis fœtu, & multiplicatione proceſſit: ſicut Minerua ſola ex vno parente nata perhibetur.* Cùm verò numeri tantillùm à modulis diſtent, vt pro iiſdem paſsim vſurpentur, quam

illi Numeralem, MODVLATAM ego PALLADEM faciam *Septem diſcrimine vocum*. quibus HARMONICAE LECTIONIS amœnam explicationem, atque Compendiarium vſum conſtituam, cum voluptate, ſpero, eorum, qui bonas Artes amant: cum fructu autem eorum, qui eaſdem tractant.

CAPVT II.

Harmonicam lectionem partem eſſe Muſicæ. Muſica definita. eius gradus & accretio per ſonorum augmenta.

HARMONICA LECTIO, quam CERTAM ET CONCINNAM VOCIS appello AD SIGNA SCRIPTA INTENSIONEM ATQVE REMISSIONEM, pars Muſicæ eſt. Muſicam (vt altiores quaſdam lineas ducam) definio, PLVRIVM ET DISPARIVM APTAM SONORVM CONCORDANTIAM. Pauciorum quidem, in Artis primordio, & rudibus adhuc Muſicæ ſeculis. *Nec quic-*

quam omnium eſt (vt appoſitè ad propoſitum Appuleius) *quod poſſit in primordio ſuo perfici; ſed in omnibus ferè antè eſt ſpei rudimentum, quàm rei experimentum*. Et rectiſsimè Romani eloquij nectar lib. 1. de Oratore ſcripſit: *Omnia ferè quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſsipata quondam fuerunt, vt in Muſicis numeri, & voces, & modi*. &c. Cùm itaque diſcreti primùm ſoni iungi cœpere & aptari ſimul, duorum Muſica fuit. Idem Appuleius id non obſcurè aut per figuram indicat lib. 1. Florid. *Quod ſi quis videbatur paullò longius in arte promouiſſe; ei quoque tamen mos fuit vnâ tibiâ, velut vnâ tubâ perſonare. Primus Hyagnis in canendo manus diſcapedinauit: primus* DVAS *tibias vno ſpiritu animauit: primus læuis dextris foraminibus* ACVTO FINITO GRAVI BOMBO *concentum Muſicum miſcuit*. Certè Muſicum: & Cenſorinus hoc numero Symphoniam definiuit. *Eſt autem*, inquit, *Symphonia* DVARVM VOCVM *diſparium inter ſe iunctarum dulcis concentus*. Duarum

rum itaque vocum velut præſidio nomen dignitatemq; ſuam Muſica tutata eſt atque defendit: mox fines vlterius etiam protulit. & trium, quattuor, pluriumq; ſonorum potita eſt. Creuit inquam, ſed per gradus, & ordine atque progreſſu quodam naturæ. In te ipſo, qui perfectiſsimæ HARMONIAE idæam poſsides, exemplum ſtatue. Quid enim? Numeras? his interuallis ſcandis: creſcis? his incrementis ſurgis: ambulas? his ſpatijs moueris. vt continuum & ordinatum motum videas; minimè verò ſaltum. De tribus autem ſonis, in ſcripto, quod adiungitur Cenſorini libro de Die Natali, lego: *Organum quondam* TRES *habuit* INTENSIONES. *Grauem, Mediam, & Acutam. Inde Muſæ quoque tres olim æſtimatæ: Hypate, Meſè, Nete. Nunc in ampliore numero ſoni conſiderātur.* Nec refert quod hîc de Organo mentio: tu ad Voces ſecurè etiam refer, eaſdemq; ſuccreuiſſe cenſe ab hac ſtirpe, & Notarum ramulos latius deinde expandiſſe.

Trium etiam ſonorum Orator meminit de Oratore; etſi in alium à ſenſu meo ſenſum: neque enim de multitudine vocum, ſed de naturâ tantùm ac differentia agit. verba tamen videamus, & corollarium ſumamus Tullianæ huius doctrinæ. *Vocis mutationes totidem ſunt quot animorum, qui maximè voce commouentur. Mira eſt enim quædam vis vocis, cuius quidem è* TRIBVS omnibus SONIS: INFLEXO, ACVTO, GRAVI *tanta ſit & tam ſuauis varietas perfecta in cantibus*. Sunt & aliæ vocum differentiæ, quas Iſidorus lib. II. Orig. cap. XIX. enumerat: vt ſunt, voces Suaues, Perſpicuæ, Subtiles, Pingues, Acutæ, Duræ, Aſperæ, Cæcæ, Vinnolatæ &c. *Perfecta autem vox, eſt alta, ſuauis & clara. Alta, vt in ſublimi ſufficiat: clara, vt aures impleat: ſuauis, vt animos audientium blandiat. Si ex his aliquid defuerit, vox perfecta non erit*. Sed vt ad terminos euagantē in primordio ſcriptionis ſtilum reuocem, deq; augmento ſonorum ſermonem finiam: repe-

to

to è ſingulis olim Muſicam conſtitiſſe, è duobus, è tribus, è quattuor ſonis: addo, vltrà etiam, creſcente æuo, ventum; & cum Muſarum numero, à quibus Muſica nomen ſortita, numerum hunc ſonorum creuiſſe; ita vt quemadmodum cæterarum, ita & huius ſciētiæ certos & diſtinctos quoſdam gradus videas, quos prima ſtatim ætas (ad Hiſtoriam Sacram, Prophanamq; prouoco) inuenit ac cœpit: noſtra quaſi perfecit & finiuit.

CAPVT III.

Muſica diuiſa. Quid Aſſa vox. Feſtus obiter correctus. Monitio ad Criticos.

MVSICAM diuido in eam, *quæ ſonos inueſtigat, & cū ratione quadam diſponit ad concentum; quæq; generis nomine donata* MVSICA *appellatur*: & in eam, *quæ eos ipſos ſonos aut aſſâ voce exprimit* (quā HARMONICAM dicimus;) *aut voce factâ arte & adfictâ, ſiue per inſtrumenta expreſſâ*, quam

OR-

ORGANICAM appellamus. Sic apud Nonium Marcellum Cato: *Melos alterum in cantibus eſt bipartitum, vnum, quod eſt in* ASSA VOCE: *alterum, quòd vocatur* ORGANICON. Aſſam vocem idem Nonius explicat eſſe linguæ ſolummodò, aut oris humani, non admotis alijs vocibus: aitque: *Aſſum autem exiſtimandum eſt, vt in obſonijs ſine pigmentis ſaporis alieni, quemadmodum* MERVM *dicitur* SOLVM. quaſi dicat aſſum ſolum ſignificat; quòd ſine condimento, aut alius ſaporis adiumento coquantur carnes atque edantur: quomodo & merum, eodem loquendi modo, de vino dicimus, cui nihil Nymphæ ſiue Lymphæ admiſtum. Varro, Latinitatis ille tibicem longius hoc etymon lib. IV. de L. L. ſcribẽs producit. *Merula*, inquit, *quod mera, ideſt, ſola volitat*. Iſidorus verò aliter lib. XII. Originum. cap. VII. *Merula antiquitùs medula vocabatur, eò quod moduletur. Alij merulam vocatam aiunt, quia ſola volat, quaſi mera volans.* Hinc feſti locus manifeſtiſsimò in li-

turâ

turâ eſt: *Aſſa dicebatur cantus tibiarum.* nec enim tibiarū, ſed, vti dixi, vocis humanæ tantùm. Vir doctus corrigebat: CVM *cantu tibiarum,* quia inquit hæ cum cantu interdum iungebantur. Vbi ſodes? Apud Nonium in Aſſa: *Varro de vitâ populi Romani lib. 11. In conuiuijs pueri modeſtè, vt cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorū,* & ASSA VOCE, & CVM TIBICINE. Sed profectò hîc tibiæ, ſi quicquam oculis vtor, penitus ſecernuntur; adeò nō iunguntur: nec aliud eliciam, quàm carmina primùm aſsâ, ſiue ſola voce olim cantitata; deinde etiam cum tibicine, non aſsâ. Ineptè autem ſolus ceciniſſe dicetur, cui ſuccinentium tibicinum chorus acceſſerit. In his autem talibus reſtituendis catus cautusq; vnuſquiſque Criticorū ſit, nequid temerè emendet aut emundet. Nam ſicuti ij qui inquinato digito maculam in ſindone reliquà mundâ terunt, magis eam inficiunt ac defœdant: ſic nos, dum optimos illos auctores tractamus, amplius eos errorum ſor-

ſordibus per vaniſsimam temeritatem opplemus, ni circumſpectè tractemus. Feſtiuiſsimè autem Muſarum Phœbus LIPSIV'S in Satyrâ Menippæâ luſit; immò rectiſsimè pronunciauit, *Correctores, hoc difficillimo rei litterariæ tempore, vtibiles neceſſariosq́; eſſe. Non eos tamen promiſcuos: non indoctos, rupices, petrones: ſed qui conſilio, req́; apſe iuuare ſcriptores priſcos poſſint.* Itaque non tantùm quid emendari poteſt; ſed quid debet, inſpiciendum eſt: & quẽadmodum gladius niſi in hoſtem minimè ſtringendus: ſic nec ſtilus ille criticus, niſi in corruptas vſu periodos, & à vero ſenſu fugaces: in monſtra illa manifeſta verborum ſentẽtiarumq́;, ſiue ab auctoribus ſic nata, ſiue iniuriâ temporis mutila. Quod vt in hoc Feſti loco præſtem, particulam illam *cum* perperam à Correctore ingeſtam atq; intruſam mutem, congruenterq́; ſic ſcribam: *Aſſa dicebatur* SINE *cantu tibiarum*. Quod autem ad originem huius vocis ASSAE, lubens eam dicam quaſi nobis in promptu ſemper,

&

& à naturâ *aſsit* : ſicuti ASSAS *nutrices* Nonius, *quod* ASSINT *ijs quos nutriant, nec vel exiguo diuellantur.*

CAPVT IV.

Harmonicæ & Organicæ comparatio. illam præcellere Antiquitate, Dignitate, Poteſtate. In prioribus id oſtenſum. Tibulli locus iu priſtinum nitorem datus. Chordæ, digiti, ipſe pſallens vocalis. Quid Vox.

IN vno Muſicæ membro duas partes repperi, HARMONICAM & ORGANICAM. Sed vti eiuſdē arboris rami ſæpiſsimè diſcrepant, eiuſdem arui glebæ: ita prior iſta, Antiquitate, Dignitate, Poteſtate præſtat. Hoc ipſum binis hiſce capitibus conabor comprobare. quæ in laudem vocis ſcripta, ſacra tibi ſunto CLAVDIA SESSA virgo Deo dicata caſtiſsima, quæ vocis mortales miraculo vniuerſos præſtas. Tibi præſentis ſeculi ſuffragio cedit Antiquitas, & honorem

norem habitura eſt Poſteritas. Fabulis quid vltrà locus? Illæ Iouis filiæ ora compeſcant, ne te canente obſtrepere deinceps videantur: Sirenes faceſſant, quarum tu concordiam ſuperas: Echo ſilentio inuidiam ſuam tegat, fruſtrà te referre conatur. De *Antiquitate* quidem perſpicuè palàm eſt. Natura arte prior eſt; ſed effectus quoque Naturæ: ſonum autem qui ab ore procedit humano, conſtat naturalem; qui ab inſtrumentis, ſpurium eſſe ſiue artificialem. cuius qui ſentit rationis pondus, inclinet, atque à reſponſionũ ſuarum fulcris ruat neceſſum eſt. Lucretium doctiſsimum rerum Vatem ſi adſtrictâ aure audiamus, ecce tibi certum vetuſtumq; ſententiæ noſtræ firmamentum. Verſus eius è lib.v.iſti:

At liquidas auium voces imitarier ore
Antè fuit multò. ————
Inde minutatim dulceis didicêre querelas,
Tibia quas fundit digitis pulſata canētũ.

Poſt voces, inquit, Tibia ſucceſsit, primum vſu aut præcipuum inter reliqua

qua inſtrumenta. Hinc Tuba à Tyrrhenis. Vergilius.

Tyrrhenusq́; tubæ mugire per æthera clangor.

Et paullatim Pandoria, Sambucæ, Fiſtulæ, Cytharæ, Tympana, Siſtra, aliaq́; plurima. Voces itaque articulatas inueniſſe atque excoluiſſe ſolertiæ humanæ haut fuit ſatis: ad organa enim, Muſis iuuantibus, ventum, quorum plurima etiam in vſu hodiè aut abuſu, quædam fuêre; immò ſunt nonnulla, nec fuêre. Varietas ſiquidem iſthæc ſiue viciſsitudo rerum humanarum; vt non viuentibus tantùm, ſed & reliquis ortus ſuus ſit, adcreſcens & & decreſcens ætas, demùm interitus atque mors. Inuenta, aut neglectu tolluntur, aut vſu mutantur, aliaq́; deinde reperta ſubſtituuntur: nihilq́; in rerum naturâ gratiam nouitatis ſeruare perpetuò poteſt.

Nam quod adeſt præſtò (niſi quod cognouimus antè
Suauius) inprimis placet, & pollere videtur:

Po-

Poſteriorq́ ferè melior res. illa reperta
Perdit, & immutat ſenſus ad priſtina quæque.

Inſtrumenta verò Muſica vniuerſa in duplici quodam ordine ſiue claſſe: vel enim SPIRITV PERFLANTE COMPLETA IN VICEM VOCIS ANIMANTVR; atque hęc voci proxima ſunt: VEL PVLSV AVT PERCVSSV SONANT; & longiùs remouentur. Diuiſionis meæ rationem Iſidorus lib. II. Orig. cap. XVIII. diſertim ſuggerit. Nam *aut* VOCE *editur ſonus, ſicut per fauces* (hæc HARMONICA eſt:) *aut* FLATV, *ſicut per tubam, aut tibiam: aut* IMPVLSV *ſicut per citharā, aut quodlibet aliud quod percutiendo ſonorum eſt*. Ego amplius non penetro; nec debeo. alius ſi volet. De *Dignitate* indigner ſi quis moueat quæſtionem. Organica illa ſonum quidē edit, ſed ſonum; & quod Lacon quidam ad Luſciniam, id ego hîc dixerim, *Vox es, præterea nihil:* hæc noſtra HARMONICA præter dulcedinem vocis, ſillabas etiam ſingula

gulas format & dearticulat ad ſignifi-
candum. illa ſenſum : hæc mentem i-
pſam recreat atq; rapit. Quemadmodũ
itaque animata inanimatis antecellũt:
ita viuentium voces inſtrumentis: tan-
tumq; inter Organicam atque HAR-
MONICAM, quantum inter homi-
nis vocem atque bruti nobilitatis di-
ſcrimen eſt. Erranteis quadrupedum
greges attendis? ecce tibi oues balan-
tes, equos hinnientes, boues mugien-
tes, leones rugientes, aſinos rudentes,
panteras caurientes, tigres rancantes,
leopardos rictantes. Auium ſtrepen-
tem chorum conſideras, plumatilem
cohortem? ecce tibi anſeres gratitan-
tes, palumbes minarrientes, paſſeres
pipilantes, luſcinias gurrientes, pauo-
nes pupillantes, hirundines triuſantes,
gallos cucurrientes, gallinas gracillan
tes, & in reliquis, ſiquis luſtrauerit,
ſimilem quandam turpitudinem vocis
atque vilitatem. Sed enim hominis
ratio & oratio tempore iugis eſt, vt il-
le ait, & auditu venerabilis, & intel-
lectu vtilis, & modo omnicana. Quid

argumenta colligo? Ipſos veteres inſtrumenti cuiuſque ſonum, ſi quem laudare volebant, cum voce comparaſſe, & honoris gratiâ chordas *vocales* nuncupaſſe ſcimus. Poëta princeps lib. VI. diuini operis:

> OBLOQVITVR *numeris ſeptem*
> *diſcrimina* VOCVM.

Vbi Seruius: *Obloquitur*] *chordarum expreßit laudem, quas dicit* VERBIS LOCVTAS. Item Tibullus:

> *Nunc te* VOCALES *impellere pollice* CHORDAS,
> *Nunc precor ad laudes flectere verba meas.*

Suſpectum poſteriorem hunc verſum ſemper habui. Veterem veramq; lectionem ex manuſcripto codice Marius Mattius ſuggeſsit, vir de litteris haut malè meritus. is legit:

> *Nunc precor ad laudis flectere verba modos.*

Mihi verò placeat *melos*. Eodem ſenſu & digitis pſallentis dicebant *vocales* ſiue *locutios*. Idem Tibullus:

> *At poſtquam fuerant* DIGITI *cum voce* LOCVTI.

Et

Et ipſum quoque pſallentē. Horatius:

Vnde VOCALEM *temerè inſecutæ*
Orphæa Syluæ.

Etiã Citharã Appul. *Iubet Citharã loqui.* Sed hæc καταχρηστικῶς, in commendationem ſoni, contra etymon vocis. Nam vox (Iſidorus ſic definit lib. II. Orig. cap. XIX.) *eſt aër ſpiritu verberatus; vnde & verba ſunt nuncupata. Propriè autem vox hominum eſt, ſeu irrationabilium animantium. Nam in alijs* ABVSIVE *non propriè ſonitus vox vocatur: vt, Vox tubæ infremuit: fractasq; ad litora voces.* Plura poſsim; ſed vulgaria contemno, tanquam nota: erudita prætereo, tanquam vulgò ignota. ſi iſta dixero, nihil dixero: ſi hæc, obſcurè. Enimuerò (nec enim poſſum, quin à Dignitate illa digrediens me vertam, & viantium more paullulùm etiam reſpectem.) vt aurum melius puriuſq; quod in viſceribus veræ & magnæ Matris à cœlo & ſole formatur, quàm quod æmula artificis manus reddit; immò non reddit: ſic præ quocunque ſono vox, quam anima ipſa gignit, fau-

ces concipiunt, lingua & candentes dentes moderantur, labella ore tereti, edunt.

CAPVT V.

Idem de Poteſtate quoque probatum recenti & miro quodam exemplo. De Amore ſalubriter quædam diſputata.

POTESTAS ſupereſt, quam niſi in poteſtatem meam redigam, tum me Muſæ Gratiæq; pariter à ſacris ſuis æternùm arceant. Quid enim per Deum immortalem humana voce ad alliciendum blandius? ad oblectandum efficacius? ad mouendum fortius? Inſtrumentorum quicquid ars dedit cogas licet & pulſes, ſi concentus ille vocum adſit, haut dubiè hinc pendebis, coronamq; ei meritò adſcribes & triũphum. Quid mirum? Dulcedinis in vocibus vis eſt, & à vitâ quædam quaſi vita. Minuriens & articulatus ille faucium ſonus inter numeros Organicos vniuerſos eminet, eoſdem dirigit, temperat, ornat. Fidium θριττανιλο lenit: fla

flatuum tinnitum modificat: pulſuum ſuſurrum acuit: & ad ſummam, aſperitatem quamcunque Muſicæ aut varietate tollit, ne officiat; aut dulcedine obumbrat, ne appareat. Sed quid? iamne ſeorſim ſentientium copiæ in ditionem meam veniunt; an ſumptâ cum Perſeo *Aegidâ*, in pugnam numerò eo, acriùs & alacriùs prœliaturus? Non hiſtorias curabo veteres, aut exempla ſeculis nota: rem noſtrâ memoriâ factam producam, nec in vno tantùm loco. Virgines fuiſſe aiunt, quarum ad vocem, ceu focum quendam, Amoris ardentiſsimi faces accenderint, adoleſcentes plures, & velut corriuales. Virgines, inquio, ſed ſacræ, ſed inuiſæ. Amor, quò penetras? In Pœnulo Plautinâ Milphio ſeruus herum admirans ſciſcitatur:

Etiamne vt ames eam, quam nunquam tetigeris?

Commutem:

Etiamne vt ames eam quam nunquam videris?

O ſtupendam humanæ vim vocis! ò

miraculum prodigioſi Amoris ! Fabulas miramur, & obſtupeſcimus : ſcilicet fuiſſe qui effigiem propriam, aut idæam; alios qui ſignum aliquod aut ſtatuam per ſummam ſtultitiam deperierint. folia ſunt farferi, & nugæ meræ ſi cum exemplo præſenti contendantur. Nam cùm Amoris illud incendium à pulchritudinis ſiue formæ ſcintillis oritur & alitur, quid miramur? Idæa formam ſuam præfert & ſcitulam repræſentat. Statua decorem ab arte ſæpè ſupra humanum trahit: & qui ſculpunt,

——— *viuos ducunt de marmore vultus.*

At vox, quicquid Lucretius, alijq; ex Stoicorum ſententiâ delirent, vox inquam, quæ incorporea eſt, ſine ſpecie vllâ aut formâ, quomodo concitet illum Cupidinis æſtum ſiue flammam? tamen concitauit; & ſuaui quodam aculeo adoleſcentium iſtorum non patulas aures modò, ſed animum ipſum penetrauit & læſit. Quod inſtrumentum ſimile fecit, aut faciet? neſcio, & ſileo. tu qui aliter, aut factum, aut futurum

turum doce: iſtud nunquam indagando reperturus, hoc fruſtrà, vt reor, opperiendo. Sed cornua mihi nũc quiſquam obuertat & arguat: Canentiũ vocibus vim iſtã adſcribis incaute? vide quid agas? conſuetudinẽ ritumq́; diuinum inclementer tangis: numeros modosq́; Muſicos quibus ornare rem diuinam Sacri Myſtæ voluêre; terrenosq́; animos ad Deum contemplandum excitare (Sicuti D. Auguſtinus alibi ſcribit, *cantandi conſuetudinem approbari in Eccleſiâ; vt per oblectamenta aurium infirmior animus in affectum pietatis aſſurgat)* eos tu modos his ſermonibus tuis facis impuræ libidinis cauſſam. Di meliora: nequaquam facio. quin culpam in Venereos iſtos nepotulos conijcio, qui malo quodam œſtro incitati in cruciatum ſui propriũ quicquid vident aut audiunt, ſi Dis placet, amant: qui cupidines & libidines ſuas (prò ſcelus!) ad templa conferunt: qui delectationem oculis ſuis ibidem quærunt à munditijs muliebribus, & è loco ſacro conciliabulum fa-

ciunt Amoris. Ipſi, ipſi cauſſam miſeri fouent ſui mali: ſpretaq; ſuauiſsimâ diuini liquoris craterâ, merum hauriunt mœrorem, ſcelusq; ſceleri addũt. *Idcirco autem id hoc euenit* (è penetralibus ſapientiæ hanc vocem nobis Appuleius deprompſit) *quòd immoderatũ ingenium, in quacunque proruerit, modũ non habet.* Quodſi Voci vim omnem Amoris tribuamus, cur non omnes, qui audiunt, amant?

Limus vt hic dureſcit, & hæc vt cera liqueſcit
Vno eodemq; igni:

ita hic eſt; nec torrere quoduis iecur poteſt

——— *centum puer artium.*

Sicuti in aſperis incultisq; locis lolium ſentesq; facilè creſcunt: ita in animis neglectis & horridis illa ſpina Amoris. Immò quemadmodum ſpecula lumine ſolari ægrè vuidam aliquam ſtuppam incendant aut humectam: ſic nec Vocis. dicam amplius: ſic nec feminei oculi radius animum probitatis quodam liquore imbutum. Homines

tamen

tamen ſumus : amare poſſumus ; ſed prudentes illi, qui in Amore temperant: qui frena cupiditatibus indunt, nequid illicitè adfectent atq; deſignẽt. cæterùm miſeri, immò verò miſerrimi, qui ratione pulsâ affectibus ſe tradunt, ſenſuumque iugo premuntur. Comicum philoſophãtem audiamus:

———————— nam qui in Amore
Præcipitauit, prius perit, quã ſi ſaxo ſaliat.
apagè ſis Amor,
Tuas res tibi habe: Amor mihi amicus ne fuas vnquam.

Vnus mihi ſit Amor rerum diuinarum, vt, ſpretis terrenis hiſce & caducis, ad vera & ſumma illa bona attollere liberum & defœcatum animum poſsim, & in ijs conquieſcam.

CAPVT VI.

Harmonicæ partitio, & membrorum explicatio. Quid Harmonica Lectio. Quid Legere. Quid Nota.

HARMONICA porrò duplex: *vel de tabellâ, vel ſine eâ.* Sicut oratio

oratio dicentis, aut recitantis. Sine tabellâ, *Quicquid auditu ipſi percipimus, aut mente concipimus canendum.* De tabellâ, *quod ſecundum artis praecepta in quinque lineis, earumq́; interuallis notatum, ſiue ſignis quibuſdam expreſſum legimus.* Vnde HARMONICAM LECTIONEM breuiter lucideq; definio, MODVLATIONEM QVANDAM VOCIS AD SIGNA SCRIPTA FLEXAM ET ACCOMMODATAM. *Modulationem*, quam Iſidorus luculentiſsimus ſcriptor libro II. Orig. cap. XIX. refert *ad Comœdos, Tragœdos, vel choros, vel ad omnes qui voce propriâ canunt*. *Vocis*; vt HARMONICAE propria eſſe cognoſcatur. *Ad ſigna ſcripta flexam*, Sicuti lectio quæcunque inſtituitur, & quod obiter velim adnotes, ſi non propriè, ſaltem vſu quodam loquendi ſignificat. Nam in verbo *legere* tropum eſſe Nonius Marcellus indicat: *Legere, ſicut eſt in* CONSVETVDINE, *ſignificat oculis ſcripta percurrere*. Et Varro lib. v. de L. L. *Legere dictum, quòd legantur ab*

oculis

oculis litteræ. quaſi dicat μεταφορικῶς; haut aliter, quàm fructus manu eligentis. Propriè latina Sirẽ Virg. vſurpauit:

Ipſe ego cana legã tenerâ lanugine mala.

Signa autem iſta, *Notæ* hodie; ſed & olim dictæ in hac ipsâ re. Apud Boëthium id lego: *Per ſingulos modos à veteribus Muſicis vnaquæque vox diuerſis* NOTVLIS *inſignita eſt*. Et paſsim idem ille Scriptor Notas nominat, atque etiam notat. In ijs autem quoniã HARMONICAE LECTIONIS vſus atque cognitio, tanquam materiâ propriâ conſtituta eſt; opere pretium fuerit copioſius nonnulla edocere. Nota itaque nihil aliud, quàm SIGNVM COMPENDIO LOQVENS. cuius ſcribendi modus duplex: per *Litteras*; & alias quaſdam non difficiles *formas*. De litteris Feſtus in Fragmento: *Nota aliàs ſignificat ſignum: vt in pecoribus, tabulis, libris* LITTERAE *ſingulæ, aut binæ: aliàs ignominiam*. Plautus in Rudente de vrnâ Venereà loquens:

Nam hæc LITTERATA *eſt, ab ſe*
cantat cuia ſit.

No-

Notare ſcilicet ſupellectilem & olim ſolent contra cleptas, ſeruosq́; qui ſenis manibus erant genere Geryonaceo, miluinis aut aquilinis vngulis, quiq́; rem alienam per fraudem ſupprimebant. De ſeculo ſuo Plinius queritur lib. XXXIII. *Quæ fuit illa priſcorum vita, qualis innocentia, in quâ nihil ſignabatur? at nunc* (modum ſignandi conſidera) *cibi quoque ac potus* ANNVLO *vindicantur à rapinâ*. Annulo, inquit, cui certum ſignum ac familiæ proprium inſculptum. Plura Delitium generis humani I. LIPSIVS in luculentiſsimis ſuis ad Cornelium Tacitum commentarijs. De alijs formis Iſidorus lib. I. Orig. cap. XX. *Nota eſt* FIGVRA PROPRIA *in littera modum poſita*. Intelligit autem hoc loci, vt ipſe loquitur, *ad demonſtrandam vnamquamque verbi ſententiarumq́; ac verſuum rationem*, cuiuſmodi plures enumerat: Aſteriſcum, ⁎: Obelum, —: Obelum ſupernè appunctatum, ∸: Limniſcū, ÷: &c. Valerius Probus, alijq́; alias quaſdā expreſsêre, quas non excerpo.

CA-

CAPVT VII.

De Notis Harmonicis Veteribus, Medijs, Nouis. Boëthij laus & monumentum.

CVM itaq; NOTIS HARMO CA conſtet, eæq; duplices ſint: *Litteræ; vel Figuræ in litteræ modum poſitæ*, vtris conſtet, inquirendum. Quod vt ſine face atque viatico inuentũ reddam, triplicem Muſicam diſtinguo: *Veterem, Mediam, Nouam*. Veterem voco, *quæ Vrbe florente, atque retrò etiam fuit*. Nouam, *quæ ab anno Chriſti* ∞ *felicibus auſpicijs cœpit, hodieq; durans, ad culmen penè perfectionis conſcendit*. Mediam, *quæ inter terminos vtriuſque*. Vetus, Litteras Notas habuit, ſed Græcas; nunc rectas, nunc inuerſas, nunc alio ſitu locatas: eæq; ſuper verba, aut verborum ſillabas canendas ſiue pſallendas ſcribebantur. Ex Boëthio id colligere eſt, Viro qui inter paucos exemplar nobis reliquit aut imaginem Muſicæ priſcæ: cuius ego tum ob beneficium quod poſteris dedit, tum ob

ob virtutem & Doctrinam quibus floruit neglectos penè cineres Ticini veneratus ſui, inſcriptionemq; ſimplicis tumuli (in D. Auguſtini habetur) memoriæ cauſsâ enotaui:

Meoniâ & latiâ linguâ clariſſimus, & qui
Conſul eram, hîc perij miſſus in exilium.
Ecquid mors rapuit? probitas me vexit ad auras,
Et nunc fama viget maxima, viuit opus.

Is itaque lib. IV. de Muſicâ cap. III. ſic ſcribit: *Veteres enim propter compendium ſcriptionis, ne integra ſemper nomina neceſſariū eſſet apponere, excogitauêre Notulas quaſdam, quibus neruorum vocabula notarentur.* immò (licet interiungere) & ſonorū ſiue vocum: vt ſi pſallendum eſſet Nota indicaret neruum; ſi verò canendum, ipſam vocem. Pergit Boëthius, & idipſum facit palam: *easq;* Notulas *per genera modosq; diuiſêre. Simul etiam hac breuitate captantes, vt ſi quando melos aliquod Muſicus voluiſſet adſcribere ſuper verſum rythmicâ metri*

tri

tri compoſitione diſtentum, has ſonorum Notulas adſcriberet : ita miro modo reperientes, vt non tantùm carminum verba, quæ litteris explicarentur; ſed melos quoque ipſum, quod his Notulis ſignaretur, in memoriam poſteritatemq́; duraret. Paullò poſt: GRAECIS LITTERIS, *nunc in quamlibet partem* IMMINVTIS, *nunc etiam* INFLEXIS *tota hæc Notarum deſcriptio conſtituta eſt.* In Mediâ, Litterarum etiam vſus ſed Latinarum: A, B, C, D, E, F, G, quibus voces ſuas Muſici notabant, atque efferebant. Ad cuius rei probationem, præter veſtigia quæ nō obſcura exſtāt, Nicolai Vicentini fidum teſtimonium cito, qui ſuo etiam tempore in Pannoniâ alibi viguiſſe hunc modum ſeriò confirmat. In HARMONICA deniq; noſtrâ, & Litteræ pro Notis ſunt; & diuerſæ ab illis Formæ : atque iſtas ſimpliciter Litteras, interdum Claues dicimus, quòd NOTAS VELVTI APERIANT & RECLVDANT: haſce propriè Notas, quod SONOS ſcilicet DENOTENT, & EO-

RVM

RVM TEMPORA. Sonos *Nomine:* Tempora autem *Figurâ*. In his enim duobus HARMONICAE; immò vniuerſæ Muſicæ vis; vt varietas quædam vocum ſit, & temporum menſura. Ad vocum itaque varietatem, Notæ mihi amplius explicandæ. de quibus primò dicam, *quot & quæ ſint:* deinde, *quomodo per litteras in tabellâ cognoſcantur*. In tempore denique ad têpora tranſmigrabo.

CAPVT VIII.

Diuiſio vocis. Harmonicarum Notarum cauſſa, & numerus. hic nouè auctus.

HARMONICAM ad Vocẽ antea reſtrinximus. *Vocis autem differentiæ* (verba Priſciani) *ſunt quattuor: Articulata, Inarticulata, Litterata, Illiterata. Articulata eſt, quæ coarctata, hoc eſt copulata cum aliquo ſenſu mentis eius qui loquitur, profertur. Inarticulata eſt contraria, quæ à nullo proficiſcitur affectu mentis. Litterata eſt, quæ ſcribi poteſt.*

Illi-

Illitterata quæ ſcribi non poteſt. Inueniuntur igitur quædam voces Articulatæ, quæ & ſcribi poſſunt, & intellegi: vt Arma, virumq; cano. Quædā quæ non poſſunt ſcribi, intelleguntur tamen: vt ſibili hominum & gemitus, hæ enim voces quamuis ſenſum aliquem ſignificent proferentis eas, ſcribi tamen non poſſunt. Aliæ verò ſunt, quæ quamuis ſcribantur, tamen Inarticulatæ dicuntur, cum nihil ſignificent: vt coax, cra. Eas enim voces quanquam intelligimus de qua ſint volucre profectæ, tamen Inarticulatæ dicuntur, quia vox (vt ſuperiùs dixi) Inarticulata eſt, quæ à nullo affectu proficiſcitur. Aliæ ſunt Inarticulatæ, & Illitteratæ, quæ nec ſcribi poſſunt, nec intellegi: vt, ſtrepitus, mugitus, & his ſimilia. Accuratè diſtinctéq; iſta Priſcianus: preſsiùs ſic ego & fortè clariùs: Vox duplex, *Confuſa*, & *Articulata*. Confuſa, hominum ſimul & brutorum: Articulata hominum tātùm. In priori itaque, ſiue quòd amplior ea & communior, ſiue quòd ad quamcunque ſillabam, ceu formam aliquam recipiendam apta, artis fun-

damentum ſtratũ eſt. Cùm verò vox Confuſa, ab ipſo ſono, generali quodam vocabulo, paullulùm diſcrepet; magisq; memoriæ quam chartæ poſſit imprimi: ſentiri, haut ſignari (ſicuti Iſidorus lib. 1. Orig. cap. XIV. diuersè à Priſciano definiuit: *Articulata eſt, quæ ſcribi poteſt: Confuſa, quæ ſcribi non poteſt*) ideò inquam certis litterarum, ſiue ſillabarum eam Notis Muſici veſtierunt ad ſcribendum: & Articulatam fecerunt, quam propriè non fecerunt. Texerunt enim, non mutarunt veram ſub formis alienis formam. Perſonatæ itaque voces olim hodieq; ſonant; etſi per diuerſa diſtinctaq; quædam ſchemata, ſiue perſonas. quarum ego omnium lineamenta calamo traherem, veroq; ſuo colore repræſentarem, niſi partim in opacâ quadam vmbrâ ipſisq; tenebris, partim in creperâ admodum luce ab iniuriâ tẽporis collocata, diſtinctionem amiſiſſent. Ea autem quæ nupera inuentio propiùs oculis noſtris admouit, diſtinctè atque articulatim perſequi minimè

nimè grauabor. Amiſsâ Veteri, reiectaq; Media canendi ratione, GVIDO ARETINVS Muſicæ peritiâ inter æui ſui primos (ſub Henrico III. Imperatore vixit) ſex Notas Sillabicas, ſenarij numeri perfectione delectatus, introduxit: VT, RE, MI, FA, SOL, LA, quas ex hymno D. Ioanni ſacro eũ mutuatum eſſe atque tranſtuliſſe ratio temporum ſuadet. Verſus ipſi, remotâ controuerſiâ, indicium fidemq; faciant, quos adſcribo.

VT *queant laxis* RE*ſonare fibris*
MI*ra geſtorum* FA*muli tuorum,*
SOL*ue polluti* LA*bij reatum*
Sancte Ioannes.

Sermo mihi hac eadem de re cum magno ſanctoq; Præſule nuperrimè fuit (patieris vir ampliſsime, vt denuò te appellem) SEVERO TVRBOLO. Bone Deus, cum quo Viro! corã quo Cœtu! in quo denique loco! Haut me diffundam; illud autem, non carminis; ſed affectus amoris q; diuulgandi, adſcribam obiter, quod

In eundem eiuſdem Monaſterij

LOCVM,
COETVM,
ANTISTITEM,
coràm ſtupens effudi:

Quis COELVM, SOLEMQVE *potens*; *quis* SIDERA *traxit*
In terram Diuus ſedibus è ſuperis?
Nam ſtructura LOCI *Cælum eſt, ſunt Sidera* COETVS,
Et Sole ANTISTES *plus nitet Aethereo.*

Muſis gratiam. quid breuiùs veriuſq; potui? Structura quid aliud, quā octauum quoddam orbis miraculum: Epheſium aliquod Italiæ, non Dianæ Ioniæ, ſed Matri-Virgini ſacrum? Iam ille Deo tot magnorum ſanctorumq; virorum mancipatus Cœtus, centum illæ & viginti ſeptem columnæ mihi videantur à ſingulis Regibus ſtructæ. quarum pars excellentiori quodam Pietatis ornamento cœlatæ, ſed celato. qui Religionis omnem fructum in conſcientiâ ponunt. Verùm quemadmodum flamma compreſſa fortiùs erumpit: ita, Patres pijſsimi, virtutis veſtræ

radij ſeu ſtricturæ. Deo vacatis, Deo viuitis: hinc bonis etiam honeſtisq; ſtudijs & artibus. In quibus quantum proficitis quantumq; poſsitis omnes, reuerendi, facundi, eruditi Patris D. Auguſtini Mazij Florentini exemplum poſſit comprobare. Antiſtes mihi reſtat; quem admirer ſanè potiùs, quàm collaudem: amem lubentiùs, quàm admirer. Laudatio ſiquidem interdum adulantis: admiratio obtrectantis: amor non niſi comprobantis. qui autem ſeriò ac ſincerè probat, admiratur quoque vt laudet; laudat verò vt verè amet; & hæc omnia vt ipſe partem virtutis exprimat. O tui ſimiles, ſanctiſſime Antiſtes, omnes illi hodiè, qui Sacris præſunt, qui diuina tractant! O cõtinentiam illam, Modeſtiam, Seueritatem, Clementiam in exemplum trahant! minùs mores mali ſuccreſcant: minùs Hæreſios iſta lues foueatur: minùs denique tot mala ſentiamus, quot ſentimus. Hæc voueo Reipublicæ Chriſtianæ cauſsâ, te veneror virtutis tuæ cauſsâ, & æternùm, ſic me Virtus

 ipſa

ipſa amet, venerabor. Redeo in viam. Senæ illæ Notæ ſic inuentæ vſum ſui apud Muſicum paſsim gregem, ſed tardũ admodùm difficileq́; præbent. Quæ enim mora Mutationum, cõfuſio Clauium, ſubſtitutio Vocum? Videas pleroſque, atque indigneris, bonam ætatem impendiſſe huic Arti: & exiguum tamẽ profeciſſe, perfectos annis priùs, quàm iſtiuſmodi Lectione. Difficultas ſcilicet obſtat, Annulumq́; interdũ penitùs denegans, interdum præcipiti iam ætate conferens, remoram pleriſque facit. Ego tollam: curſumq́; vniuerſum facilem & expeditũ reddam, leui quodã diuerticulo ſiue flexu. nec in tranſuerſum abire penitùs eſt animus; ſed vada, & eminentes illos ſcopulos æquoris Muſici deuitare. Hactenus quidem, vti dixi, ſex veluti Notarum velis HARMONICA mota & promota. velis inquam, quæ nunc inſinuari opus, nunc expandi, nunc obliquari, miſceri nonnunquam atque commutari pro ratione curſus, & vocalis Aeoli flatu. Ego adiungo, & mole-

ſtias

ſtias iſtas fugiẽs (ſine ſchemate loquar) Notarum numerum augeo: ſenis recepti̇s, vt PALLAS MODVLATA fiat, comitem vnam adijcio, ex eodem illo Hymno: BI ſcilicet.

*Solue polluti la*BI*i reatum.*

Ordinem eundem ſeruo: VT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI. ſed ad nouam diſtinctamq; LECTIONIS methodum ſiue rationem, quam exponã. Notæ itaque ſeptem. quibus, ceu totidem pinnis ſiue alis, concentus in auras prodeat, aẽremq; tranet, Clariſsimi, & demerendis hominibus geniti LVDOVICI SEPTALII (quem ſeptem præpetes Artium alæ ad immortalitatem euexêre) nomine inſignis, quo Gratam acceptamq;, Vir humaniſsimus, hoc adſpectu MODVLATAM hanc PALLADEM publicè faciet, vbi non faciam ego. Haut vanè auguror. Varius Imperator, Lampridio referẽte, *cùm ſe Antonium* (quod nomen carum cunctis erat) *Baſsiani filium ſcripſiſſet, ingens eius deſiderium factum eſt*: ita fiet & huius ſcripti, huius

ſeptem Notarum LECTIONIS.

CAPVT IX.

Adſtruuntur ſeptem Notæ. Tot eſſe Voces: id ex parte oſtenſum. Sonorum & Tonorum diſcrimen: ad hanc rem obiter quædam de Diaſtematis Muſicis. E Cenſorino error ſublatus. Vocalium numerus apud Græcos Latinosq́; perpenſus. Iiſdem olim apud Aegyptios Græcosq́; voces articulari.

SED priuſquàm ſeptenarium hunc numerum excutiamus latiùs & aptemus Arti, rationem eius videamus & fundamentum, nequid temerè innouare viſi, & aperire os contra vulgi totius ſenſum, & Muſicorum omniũ conſenſum. Cùm Notæ indices Vocum ſint, & quædam quaſi ſigna; tot eſſe Notas neceſſum eſt, quot Voces: ſed ſeptẽ diſtinctæ tantũ Voces ſunt, & Latini illo Apollinis oraculo firmatæ:

— SEPTEM *diſcrimina Vocum*;


Septem ergò Notæ. Per Voces autem ſeptem illos ſonos, ſiue ſonitus intelle-

go, quos, vt Lucretius ait,

———— *corpore noſtro*
Exprimimus, rectoq́; foras emittimus
ore; quos *(gua,*
Mobilis articulat neruorum dædala lin-
Formaturaq́; labrorũ pro parte figurat.

Nam Diaſtemata illa, ſiue Interualla, quæ inter primum & ſecundũ ſonum, ſecundum & tertium, tertium & quartum, quartum & quinctum, quinctum & ſextum, ſextum & ſeptimum, Toni propriè dicuntur, & ad ſonorum concordantiam, non diſcrimen pertinent. Docere inter reliquos id Cenſorinus poteſt, cuius ego de ratione tonorum verba in Solem producam, & ſitu puluereq́; obducta leuiter excutiam Cenſoriâ quadã virgâ. Ait: *Symphoniæ ſimplices, ac primæ ſunt tres, quibus reliquæ conſtant: vna* DVORVM TONORVM *&* HEMITONII *habens* διάστημα, *quæ vocatur* διὰ τεσσάρων. *alia* TRIVM *&* HEMITONII, *quam vocant* διὰ πέντε, *tertia eſt* διὰ πασῶν, *cuius* διάστημα *continet duas priores.* Lucis cauſsâ interijcio figuram, in quâ A Diapaſon denotat,

B Diapente, C Diateſſaron: interualla tonos, lineæ numeriq; ſonos.



Cenſorinus autem, vt probet Diapaſon continere Harmonias *duas priores*, ſubiungit: *Eſt enim* SEX. TONORVM, *vt Ariſtoxenes, Muſiciq; adſeuerant; vel* QVINQVE *&* DVORVM HEMITONIORVM, *vt Pythagoras, Geometræq; demonſtrant, tria hemitonia tonũ complere non poſſe.* Interpolabo vero pigmento fugitiuum huius periodi colorem, & reſcribam: *vt Pythagoras & Geometræ, qui demonſtrant* DVO *hemitonia tonum complere non poſſe.* Ecce, in

re

re manifeſtiſsimâ commiſſus error. è DVOBVS TRIA Librariorum liberalitate creuerunt. Quid non peruertat imperita manus? quid non radat aut rodat tinea edacis æui? Et ne querelis paginam impleam, breuiter ex toto ſiue vniuerſo partes, de queis controuerſia, collectum eo. Tonus in duas tantùm portiones diuidi poteſt, easq́;, vt hoc obiter ſuggeram, inæquales. Ex Muſicorum ſententia verè & eleganter Macrobius lib. II. in ſomnium, cap. I. *Sonum vero tono minorem Veteres quidem Semitonium vocitare voluerunt. Sed non ita accipiendum eſt, vt dimidius tonus putetur; quia nec Semiuocalem in litteris pro medietate vocalis accipimus. Deinde tonus per naturam ſui in duo diuidi ſibi æqua non poterit.* &c. Mens itaque Cenſorini iſta: Cùm Diapaſon præter duo hemitonia contineat quinque tonos: noluit tamen ſenarium numerum exprimere Pythagoras; quòd duo hemitonia cõplere poſſe tonum negaret. Sed Ariſtoxenus expreſsit: item Auctor ſcripti, quod libro de Die Natali adiungi-

tur: *Toni duo & dimidius,* διὰ τεσσάρων *nominatur. Tres & dimidius,* διὰ πέντε. *SEX,* διὰ πασῶν. *Hæc Muſicæ ſumma eſt.* Differunt itaque Sonus ſiue φθόγγος, & Tonus ſiue Interuallum. Sonus *eſt vox ipſa quæ ore formata per auras defertur ad aures.* de cuius differentijs ſuprà. Tonus *eſt ſpatium duobus circumſcriptum Sonis:* vel *diſtantia Grauis & Acuti Soni.* Auctores ſuggerunt. Cenſorinus: *Muſica igitur eſt ſcientia benè modulandi. hæc autem in voce. Sed vox aliàs grauior innititur (*reſcribe *mittitur,) aliàs acutior: ſingulæ tamen voces ſimplices, & vtcunque emiſſæ* φθόγγοι *vocantur. Diſcrimen verò quo alter* φθόγγος *acutior eſt, alter grauior, appellatur* διάστημα. *Inter infimam, ſummamq́ue vocem multa eſſe poſſunt in ordine poſita. quare* διαστήματα *alia alijs maiora, minoraue: vt eſt illud quod* τόνον *appellant; vel hoc minus* ἡμιτόνιον; *vel duorum, triumue, ac deinceps aliquot tonorum interuallum.* Volaterranus lib. xxxv. *Symphoniæ in ſyſtemate perfecto, & immutabili, ſex: Diateſſaron, Diapente, Diapaſon, Diapaſon & Diateſſaron, Diapaſon & Diapente, Biſdiapaſon.*

diapaſon.

diapaſon. Primæ tres ſimplices, ex quibus reliquæ conſtant. Prima habet duorum tonorum, & ſemitonij diaſtema; quoniam TRIA INTERVALLA, & VOCVM QVATTVOR *conſonantiam recipiat.* &c. *Secunda, Diapente, trium tonorum & ſemitonij diaſtema habet; quòd* QVATTVOR *contineat* INTERVALLA, & VOCVM QVINQVE *conſonantiam.* &c. *Tertia, Diapaſon, cuius diaſtema duas priores continet; cùm* TONIS QVINQVE, *& duobus ſemitonijs conſtet.* Reſpice figuram à me poſitam, ſic ſatis expoſitam. Cæterùm hanc vocũ PALLADEM Ptolomæus lib. II. de Muſicâ firmat, *Voces*, inquiens, *naturâ neque plures, neque pauciores eſſe poſſe quàm ſeptem.* Sed quid? nonne Aegyptij Græciq; ſeptem Vocalium numero ſeptem Voces videntur comprobaſſe? vtique: Iſtos Demetrius Phalereus expreſsè ſcribit ſeptem vocalium modulatâ enũciatione laudaſſe Deos: Horus, eoſdem, binos hoc litterarum numero inſignitos digitos exerentes Muſam Denotaſſe. Iam verò Plutarchus

ſeptem

ſeptem Græcorum Vocales Muſicæ totidem Vocibus accommodat. quem numerum Latini compendij ſeu ingenij cauſſâ minuerunt, ſimpliciq; formâ duplicem in E, & O litteris ſonum cõprehenderunt. Terentianus Maurus:

Compendia noſtri meliora crediderunt,
Vocalibus vt non niſi QVINQVE *fungerentur;*
Productio longis vt daret tempora bina,
Correptio plus tempore non valeret vno.
Hinc ἦτα *minùs ſcribimus, hinc* ω *ſupremum:*
VNA *quoniam ſat habitum eſt notare* FORMA,
Pro temporibus quæ geminum miniſtret vſum.

Formæ itaq; litterarum apud Latinos pauciores: ſoni pleno ſuo perfectoq; numero vſurpantur. quod ipſum Macrobium minimè fugit, aliam atque diuerſam licet ſeptem vocaliũ cauſſam ſiue originem tradentem. Verba eius lib. I. cap. VI. in Somnium: *Anno, ſeptimo plenè abſoluitur integritas loquendi. vnde &* SEPTEM VOCALES *litteræ*

à na-

à natura dicuntur inuentæ; licet latinitas eaſdem modò longas, modò breues pronuntiando, QVINQVE *pro ſeptem tenere maluerit. apud quos tamen ſi ſonos Vocalium non apices numeraueris, ſimiliter* SEPTEM *ſunt.*

CAPVT X.

Amplius Pallas illa Vocum ſirmatur. Lyra antiquitus ſeptem chordarum; ſed & inſtrumenta reliqua quæ chordis tendebantur. Fiſtula item ſeptem calamorum. Marcianus bis reſtitutus. Quid Intus, quid Foris canere: & vtrum ſuauius. Aſconio leuiter manus adhibita.

ETIAM copioſius argumenta colligo & dico? Antiquitùs. Lyra ſeptem chordarum fuit. interpretare, ſeptenarum Vocum cauſsâ. Iſidorus lib. II. Orig. cap. XXI. *Antiquitùs autem Cithara (*quàm à Lyra non diſparo*) ſeptem chordis erat, Vnde Vergilius: Septẽ diſcrimina Vocum. Diſcrimina autẽ ideò, quòd nulla chorda vicinæ chordæ ſimilem*

vocem

vocem reddat: ſed ideò autem SEPTEM *chordæ; vel quia* TOTAM VOCEM IMPLENT; *vel quod ſeptem motibus ſonat cælum*. Nota Iſidoro ſine adſpiratione ſcriptam vocem *cordam*, & à corde deriuatam: quia (verba eius cito) *ſicut pulſus eſt cordis in pectore, ita pulſus cordæ in Citharâ*. In ſimilem quoque ſententiam ibidem lego, *Forma Citharæ initio ſimilis fuiſſe creditur pectori humano; quod veluti vox de pectore, ita ex ipsâ cantus ederetur: appellataq; eadem de cauſsâ. Nam Pectus Doricâ linguâ* κιθάρα *vocatur*. Sed nos retineamus veram, & à Græcis tractam ſcriptionem, quibus χορδὴ, inteſtinum, vnde & chordæ parantur: & ipſam *chordam* ſignificat. Ante Iſidorum ille *Romanæ fidicen Lyræ*, lib. III. od. XI.

Tuq; Teſtudo reſonare SEPTEM
Callida NERVIS.

Ouidius v. Faſt. de Mercurio:

——SEPTENA *putaris*
Pleiadum numero fila dediſſe Lyræ.

Nec temerè *putaris*. Diſcrepant enim de inuentione Heptachordi auctores:

&

& ad Apollinem nonnulli, plerique ad Terpandrum referunt. Pindarus etiã Lyram, ἑπτάγλωσσον, alibi ἑπτάκτυπον φόρμιγγα nominat. Non autem ab initio mox talis, & inuentione primâ: nec poſteà quoque manſit. *Lyram* enim, vt Volaterranus ſcribit, *inprimis* TRICHORDON *repperit Mercurius Aegyptius, vt auctor eſt Diodorus Siculus, imitatus tres temporum mutationes: calidiſsimum, frigidiſsimum, temperatum. Tres igitur poſuit phtongos; è duobus Solſtitijs duos, Acutum & Grauem; è duobus verò Aequinoctijs vnum medium, Temperatum.* TETRACHORDI *inuentionem Boëthius Mercurio tradit, ad quattuor Elementorum harmoniam adcommodatam.* QVINCTAM CHORDAM *Coroebus Atyis Lydi filius: Hyagnis verò Phryx* SEXTAM *repperit:* SEPTIMAM *Terpandrus, exemplo ſeptem Planetarum.* Nec Lyra ſeptẽ chordarũ tantùm; ſed & reliqua inſtrumenta, quæ chordis tendebantur. Ariſtoteles id clariſsimè indicat in Problematibus: Ἑπτάχορδοι ἦσαν αἱ ἁρμόνιαι τὸ παλαιὸν: *Septem chor*

darum erant harmoniæ antiquitùs. Immò & ea quæ flatu ſonum reddebant, eodem pleraque conſtabant numero atque harmoniâ. Quod vt de ſingulis probem non ſufflabo mihi buccas identidem quaſi proſerpens beſtia: ſed abundè fuerit vnâ Fiſtulâ (quam in agris ſolam, vti in ciuitatibus Lyram Plato admittit) vultum cum Mineruâ deformaſſe. Fiſtulam igitur ad labia refero; ſeptemq; Vocum diſcrimina edo, Vergiliani Opilionis illius, ſeu bubſequæ verbis:

Eſt mihi diſparibus SEPTEM *compacta* CICVTIS
FISTVLA.

Sibilos tu hoſce capis, diſcernisq; ? an pulmoneus aliquis ſeu valentiori ſpiritu dandus, qui diductis labris clariùs atque diſtinctiùs? Dabo, nec conductum nummo, ſed gratis operam dantem, Hiſpalenſem illum, doctum, Iupiter! & probum Scriptorem, lib. VII. Orig. cap. XI. de Pane,

——— *qui primus calamos non paſſus inertes*, ſic loquentem: *Fiſtulam ſeptem*

cala-

calamorum geſtat propter harmoniam cæli, in quâ SEPTEM *ſunt* SONI, *&* SEPTEM DISCRIMINA VOCVM. Quin ipſa *Fiſtula*, ipſe *Calamus* (nec argutias has ſperno) nonne hoc numero conſtant, hunc numerum probant tot Litterarum Vocibus ſiue Sonis? De Lyrâ autem monui quoque, mutaſſe eam poſtmodùm, pluribusq́; chordis auctam nouo ſonorum ordine, & concentu. Cenſorinus de hac re, Marcianus, Boëthius, quos vide. Iſidorus quoque breuiter, cuius verba quia ad manum ſunt adfluere per calami hunc canalem patior: *Chordarum etiam numerus multiplicatus eſt, & commutatum genus.* Gradum nunc attollo, & per rectam viam progredior. Singuli iſti nerui (de calamis pariter cenſe) poſsidebant vnũ tantùm Sonum, cùm, vt ex Iſidoro ſcripſi, *nulla chorda vicinæ chordæ ſimilem Vocem reddat.* Marcianus Capella lib. IX. adiuuat: *Tonus eſt ſpatij magnitudo, qui ideo Tonus dictus eſt; quia per hoc ſpatium, ante omnes prima Vox quæ fuerit, extenditur: hoc eſt,*

E 2 de

de Notâ quælibet in Notam; vt à Mediâ in Parameſen (vicinæ chordæ ſunt.) *vt eſt in Lydio, ſi ab Iota directo in Simma iacens ſigna concurrant*. Ex quibus verbis manifeſtò cognoſcas vnumquemque neruum ſimplicem ſiue μονόφθογγον fuiſſe, & vnius tantùm Vocis; quia vnius tantùm Litteræ ſiue Notæ. Binas quidē Boëthius ex Antiquitatibus eruit; ſed in diuerſum, vti præmonet, vſum. *Nos verò*, inquit, *cauemus aliquid ab Antiquitatis auctoritate tranſuertere. Erunt igitur* PRIORES *ſiue ſuperiores* NOTVLAE *Dictionis, ideſt verborum:* SECVNDAE *verò atque inferiores Percuſſionis*. Ad illum verò Marciani locum manum mentemq; reflecto; & quid *Simma iacens* ſit expendo. Fortè *ſigma iacens*: at in Parameſi, cui hanc litterā Scriptor ille tribuit, eam non reperio; aut certè Boëthius in ſchemate ſuo nō expreſsit. Nunc quoniam in hac operâ ſum, duos parietes, quod dicitur, vnâ fideliâ dealbabo, & alteri eiuſdem Marciani loco priſtinum nitorem reſtituam. Verba eius de Mediâ Lyræ chordâ:

da: *Atque in ipſius quodammodò vinculo tam Grauis modulatio, quàm Acuta connectitur: vt in Lydio modo, vbi rectum Iota Meſe notat. Verùm poſt Mediam extendentem hemitonium, Coniunctarum erit tertia, quæ in eodem modo, id eſt, Lydio, Litteram pro Notâ habebit*. Sed quænam illa Littera? quo nomine? Indicium ego facio, & lego: *Litteram* θῆτα *pro Notâ habebit*. Vel potiùs: *Litteram* θ *Notam habebit*. Fieri enim poteſt, imperitiam exſcriptoris è charactere, θ particulam *pro* breuiatam effinxiſſe; atque mutaſſe deinde caſum. Ex Boëthio correctioni meæ firmamentũ peto, qui ſingulas Lyræ litteras exprimens, *Meſe*, inquit, *quæ eſt Media*, I, *&* Λ *Iacens habet*: $\overset{\mathrm{I}}{<}$ *Trite Synnemmenon, quæ eſt* TERTIA CONIVNCTARVM, Θ, *&* Λ *Supinum*: $\overset{\Theta}{\mathrm{V}}$ Atque ſic liquidò ſatis conſtet inſtrumenta Veterum ſeptem ſonorum quandoque fuiſſe: item ſingulos neruos ſingulos ſonos expreſiſſe. Hoc etiam addo, & velut auctarium huic capiti cõſtituo, Antiquos vtraque manu in pſal

lendo vſos, ad ſimilitudinem hodiernæ noſtræ Harpæ: cum diſcrimine tamen iſto, vt dexterâ plectrum ſiue pectinem tenerent atque dirigerent: ſiniſtræ digitorum motu & munere chordas impellerent. Appuleius lib. II. Florid. de ſtatuâ à Polycrate tyranno dicatâ: *Cithara baltheo cælato apta ſtrictim ſuſtinetur. manus eius teneræ procerulæ:* LAEVA *diſtantibus digitis neruos molitur:* DEXTERA *pſallentis geſtu ſuo ſabulum Citharæ admouet, ceu parata percutere.* Digitis autem pſallere, *canere intùs*: plectro, *foris* dicebatur. Aſconius in III. Verr. *Cùm canunt Citharistæ, vtriuſque manus funguntur officio. Dextera plectro vtitur; & hoc eſt* FORIS CANERE: *ſiniſtra digitis chordas carpit, & hoc eſt* INTVS CANERE. Hæc ſimpliciter Aſconius: rationem & originem haruncce tibi formularum infrà ex ipsâ Lyræ formâ pãdam. Seiunctim etiam atque diſparatim hos pſallendi modos vſurpatos idẽ Aſconius & ibidem docet Aſpẽdij Citharistæ exemplo: *Difficile autem quod*

Aſpen-

Aſpendius Citharista faciebat, vt non vteretur in cantu vtraque manu; ſed omnia, id eſt veram cantionem (rectè legas *vniuerſam) intùs & ſiniſtrâ tantùm manu complecteretur.* Sed ipſe quoque Cicero: *Aſpendium Citharistam, de quo eſt Græcis hominibus in prouerbio, quem* OMNIA INTVS CANERE *dicebant, ſuſtulit.* Martialem quoque ad hunc ſenſum non reluctantem flecto, & explico:

Feruida ne trito tibi pollice puſtula ſurgat,
Exornēt docilem garrula plectra Lyrā.

Pollice, ſiniſtræ puta manus. *Pollice;* quia præcipuus eius, & reciprocans aliquis motus, ad certam (Meſen fuiſſe ſuſpicor) chordam. Suauiorem hunc *intùs canendi* modum olim habitum, Petronij benè emendatus locus confirmet: *Tam dulcis ſonus pertentatum mulcebat aëra, vt putares* INTVS CANERE *Sirenum concordiam.* Nam vulgata lectio vitium ſuum olet, *inter auras canere.*

CAPVT XI.

Plura de ſeptē Vocibus: eas regere affectus, præcipuè eſſe cauſſam Amoris. idquē variè oſtenſum. Superſtitio Romanorum de Lepore. In Martiali diſcrepās lectio.

ABERRO fortè longiùs, & radices proſequor miſſas extra fines. Licet. Nam vt ij, qui parietibus ſuis inter negotia clauſi per feneſtram tamen clatratam ſiue cancellos oculis interdum prodeunt & vagantur mente: ſic inter opellam hanc ego non illubēs volante iſtâ pennâ ceu pinnis erro; luſtro & illuſtro confinia illa Rituum & Doctrinæ. Quod tamen vt intra modum à me fiat, redeo ad penſum; vt ſtamen & ſubtemen hoc abſoluam PALLADIS MODVLATAE. quod pertexam & finiam vnâ aut alterâ etiā ratione. Cicero II. de Legibus verè grauiterq; ſcribit: *Adſentior Platoni nihil tam facilè in animos teneros atque molles influere, quàm varios canendi ſonos, quorum dici vix poteſt, quanta vis ſit in*

vtramque partem . namq́; & incitat languentes, & languere facit excitatos; & tū remittit animos, tum contrahit. Strictius etiam Iſidorus lib. 11. Orig. cap. xvi. *Muſica mouet affectus, prouocat in diuerſum habitum ſenſus.* Huius tam occultæ, tamq́; vehementis potentiæ vim ſtupendam prius, quàm inquirendam; inquirendam multis, nec inueniendam audacter ego à ſeptenario hoc Vocū numero, quem probatum eo, profluĉre contendo.

—— Ei rei argumenta dicam.
Atq; hoc haut videtur veriſimile vobis;
At ego id faciam eſſe ita vt credatis
Profectò ita eſſe, vt prædico. vero vincā.

Et ne ſingulos animi affectus excutiendo, ſermonem verbis farciam, de ſolo Amore ceu primo principeq; agam, reliquos pro arbitrio habiturus, ſi hunc vnum deuicero. Amor ſeptenario numero conſtat: veriſimile itaque ſeptenario eum quoque generari. ijſdem enim quibus res quæque modis oritur, ſolet conſeruari; ſed à Vocibus (exemplum protuli) Amor generatur: Vo-

ces igitur ſeptem eſſe, cur non adſeuerem? Propoſitionem ſtabilio, & ſeptenarium illum numerum collectum per partes ſingulas eo. Amor *tria* in ſe primùm; deinde *quattuor* cõtinet. quæ ſimul ſi iungo, conficio meam ſummam. De *Tribus* ſic manifeſtum fiet: In coniunctione affectus vtriuſque, & mutuo animorum motu, maris mulieriſq;, duo in vnum velut transformantur & coëunt. Vnde in Geneſi, cap. II. *Et erunt duo in* CARNE VNA. Quid mirum? A viro enim originẽ mulier, nomenq;, Deo ipſo calante, traxit. Inibi: *Hæc vocabitur* VIRAGO; *quoniam de* VIRO *ſumpta eſt*. Quæ æterni Dei verba ipſum Patris VERBVM denuò inculcauit, Matthæi XIX. *Itaque iam non ſunt duo, ſed* VNA CARO. Fidei Aſſertor Paulus, ad Philip. cap. V. *Et viri debent diligere vxores ſuas, vt* CORPORA SVA. *Qui vxorem ſuam diligit,* SE IPSVM *diligit. Nemo enim* CARNEM SVAM *odio habuit, ſed nutrit & fouet eã.* Epiſt. I. ad Corinth. cap. VI. *An neſcitis quoniam*

niam

niam qui adhæret meretrici, VNVM CORPVS *efficitur?* Taciti de feminis Germanis elogium huc facit: *Sic vnum accipiunt maritum, quomodo* VNVM CORPVS, VNAMQVE VITAM: *nec vlla cogitatio vltra; ne tanquam maritum, ſed matrimonium laudent.* Duo itaque in vnũ iunguntur; neq; tamen duo eſſe deſinunt. e quibus Ternariũ collego. Sed Quaternariũ quî reperiã? Non errabo longis anfractibus; ſed ex eadem materie eruam, ex eodem fonte hauriam. Amor mutuus, qui Amor eſt optimus, duorum eſt. In vtroque *duo* ſingulatim cerno & diſcerno: perſonam in amante amati ſeu amatæ; & amantis: id eſt, in viro mulierem & virum: in feminâ, feminam atque etiã virum. Nec enim à ſe ipſo abit aut migrat, qui per Amorem in animum amantis tranſit; ſed numerum ſui habet (ſi vnitas in numeris eſt,) & amantis: Facilè hæc capias, atque intellegas vniuerſa, quiſquis ſine impedimẽto Amoris leges: immò faciliùs fortè, quiſquis cum experimento eiuſdem leges.

Nam

Nam qui ſub Veneris regno vapulat, qui amat, ceterà fatuus & extra terminum Rationis poſitus, hoc vno ſapit maximè quà amat. Per partes collegi: nunc vniuersè magis, & lumine accenſo latentem illum & occultum inquiro Diuum, nequicquam Pſyches horrendas pœnas pertimeſcēs. Amor ex pulchritudine, aut opinione eius naſcitur. Pulchritudo autem cum ſeptenario affine quippiam etiam habet. Hinc apud Græcos ἑπτάπευτος κόμη, pulchra coma dicta, quòd ſepties tonderi poſſet. Apud Romanos iſta opinio, vt qui leporem ediſſet, formæ lepôrem quendam & pulchritudinem per dies ſeptem cōſequeretur. Lampridius de Alexandro Seuero: *Et quoniam de lepuſculis facta eſt mentio, quòd ille leporem cottidie haberet, iocus poeticus emerſit, idcirco quòd multi* SEPTEM DIEBVS PVLCHROS *dicunt eos, qui* LEPOREM *comederint: vt Martialis Coci* (mihi placet *ioci*) *epigramma ſignificat, quod contra quādam Gelliam ſcripſit huiuſmodi* (lib. v.)

Cùm

Cùm LEPOREM *mittis ſemper mihi Gellia mandas,*
SEPTEM FORMOSVS *Marce* DIEBVS *eris.*
Si verum dicis, ſi verum Gellia mandas,
Ediſti nunquam Gellia tu LEPOREM.

In Martiali ipſo diuerſa lectio aliquantulùm abit. In primo verſu, *ſemper mihi Gellia dicis.* In tertio, *Si non derides, ſi verum lux mea narras.* Pergit porrò Lampridiùs: *Sed hos verſus Martialis in eam, quæ* DEFORMIS *erat cõpoſuit: Poëta verò temporum Alexandri hæc in eũ dixit:*

PVLCHRVM *quòd vides eſſe noſtrũ Regem,*
Quem Syrum ſua detulit propago,
Venatus fecit, & LEPVS *comeſus,*
Ex quo continuum capit LEPOREM.

Sed reſpondiſſe huic ſarcaſmo non minus doctum, quàm pulchrum Imperatorem, idem ſcriptor refert: *Hos verſus cùm ad eum quidã ex amicis detuliſſet, reſpondiſſe ille dicitur Græcis verſiculis in hanc ſententiam:*

PVL-

PVLCHRVM *quòd putas eſſe veſtrum Regem,*
Vulgari miſerande de fabellâ;
Si verum putas eſſe, non iraſcor.
Tantùm tu comedas velim LEPVSCLOS,
Vt fias, animi malis repulſis,
PVLCHER, *ne inuideas liuore mentis.*

Ego verò ne in Amore nimiùm trahā moram, quæ ad rem maximè faciunt eiuſdemq; Amoris cum ſeptenario cō iunctionem probant concipiam breuiter, & in verba paucisſima conferam. In Sacris litteris Patriarcha Iacob pulchritudinem connubiumq; Rachäelis, quam amabat, ſeptem annorum fideli ſeruitio ab auunculo ſuo emit: & ſeptem aliorum deinde meruit. Apud Ouidium ſimiliter Leander Amore amens cùm dies ſeptem ob tempeſtatē maris expectaſſet, vltrà non potuit.

SEPTIMA *lux agitur* (inquit) *ſpatium mihi longiùs anno,*
Sollicitum raucis vt mare feruet aquis.

Etiam

Etiam plura? Septem Amoris gradus olim, hodieq; dicuntur, in quorum quinćto Horatius oſcula ponit:

—*quæ Venus*
QVINCTA PARTE *ſui nectaris imbuet?*

Et apud Hebræos ſeptem nominibus Amorem appellari, linguæ eius periti ſciunt.

CAPVT XII.

Obiectio poſita & remota. Notarum & Numerorum comparatio.

PALLADEM hanc Vocum ſatis ſuperq; iam oſtendi, quibus ſi ſeptem meas Notulas, VT, RE, MI, FA, SOL, LA, BI, ritè accommodaueris, concentum quemcunque miſceas; melos quodcunque LEGAS, *ſeu tu velles Aeolium ſimplex, ſeu Aſium varium, ſeu Lydium querulum, ſeu Phrygium religioſum, ſeu Dorium bellicoſum.* Sed inquies: modulamina pleraque nō clauduntur limitaneis iſtis Notis, ſed excedunt,

cedunt; & altiùs trahunt humanam etiam Vocem. Excedunt; nec tamen, ſine ænigmate loquor, excedunt: efferunt Vocem, non mutant. Nam vti in numeris cùm à monade ad denariũ, primum numerorum limitem, peruentum eſt, eoſdem iterando atque componendo progredimur in infinitum: ita in hiſce numeris, in hac noſtrâ HARMONICA LECTIONE, poſt ſeptimum quemq; ſonũ primus, ſed ſubtilior redit: & poſt ſeptimam quamque Notam, prima: atque ita deinceps ſecunda Notarum (de Sonis haut aliter cenſe) cum nonâ conuenit; tertia, cum decimâ; quarta, cum vndecimâ; quincta, cum duodecimâ; ſexta, cum decimatertiâ; ſeptima cum decimaquartâ: &c. Ab inſtrumento aliquo Muſico, ſi verba lucem negant, experimentum aurium pete, quas ego ſi quæſtioni ſubdam, teipſum pro teſte ad teſtimonium citem: oculorum, ab hac figurâ.

Etiam, ſi libitum eſt, vltrà.

Numeri.	*Voces*	*Notæ:*
16	II.	Re,
15	I.	Vt.
14	VII.	Bi.
13	VI.	La.
12	V.	Sol.
11	IV.	Fa.
10	III.	Mi.
9	II.	Re.
8	I.	Vt.
7	VII.	Bi.
6	VI.	La.
5	V.	Sol.
4	IV.	Fa.
3	III.	Mi.
2	II.	Re.
1	I.	Vt.

Tres ecce claſſes habes, Numerorum, Vocum, Notarum. In Notis Vocibusq́; duplicem ordinem mihi attende, *Intenſionis & Remiſſionis*. Illum attollendo Vocem: hunc, demittendo. Quod vt ritè poſsis, director aliquis aut Magiſter Vocis præeat velim atque ducat.

Numeros etiã addidi, ſed vulgares noſtros. Et ſanè ſi comparationem inſtituere libet, Phryges magis ad propoſitum, quibus, teſte Herodoto, ſeptenarius varietatem ſimplicium numerorũ terminabat: *qui numerus*, vt rectiſsimè Tullius in Somnio Scipionis, *rerum omnium ferè nodus eſt*.

CAPVT XIII.

Nomina, & ordo chordarum Lyræ. Iis apta ta Modulata noſtra Pallas. De formâ eiuſdem Lyræ, & ratione pſallendi. Formula vetus nouo lumine adſperſa.

QVOD ſi quis à numeris ad Lyrã, quam ſeptem Vocum diſcrimine anteà ornauimus, tranſeat, & eiuſce chordis Notas etiã haſce aptare velit, nouo vtiliq; commento id ſanequàm poſsit. Lyræ chordæ olim hoc ordine, & hiſce nominibus fuêre:

Ὑπάτη, *Suprema.*

Παρυπάτη, *Iuxta ſupremam.*

Ὑπερμέση, *Supra Mediam.*

Μέση

Μέση, *Media*.

Παραμέση, *Iuxta Mediam*.

Παρανήτη, *Iuxta Neten*.

Νήτη, *Vltima*.

Ὑπάτη, non ob acumen tantùm Vocis, ſed præſtantiam quãdam & virtutem. ὕπατος enim quaſi ὑπέρτατος, eminẽtię quendam gradum denotat atq; dignitatis. vnde ab Homero non vno in loco tribuitur Ioui. Item Romani Conſules eodem iſto nomine tanquam ſupremi & Principes Senatus vocabantur. Inſcriptio vetus Romæ:

Λ. ΦΑΒΙΟΝ
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ ΡΩΜΗΣ
ΥΠΑΤΟΝ ΤΟ Β
Η ΜΗΤΡΟΡΟΛΙΣ
ΤΗΣ ΓΑΛΑΤΙΑΣ
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ ΕΑΥΤΗΣ
ΠΡΟΣΤΑΤΗΝ.

Id eſt: *L. Fabium Ceilona Præclarũ Prin*

cipem, Romæ Conſulem II. Metropolis Galatiæ ſui ipſius Præſidem. Plutarchus in Romulo ipſam cauſſam tangit: τὸ ἄνω, καὶ τὸ πρῶτον, ὕπατον οἱ παλαιοὶ προσηγόρευον: *Quod ſuprà eſt & primùm, hypatum antiqui appellabant.* Υπερμέση etiam λίχανος nũcupata ab indice digito; quòd illo illa chorda, ni fallor, pulſaretur. Νήτη quaſi νεάτη: id eſt, vltima ſiue nouiſsima: grauiſsimum quoque ſonum, impulſa edens. Nec ſolùm chordæ iſtis nominibus; ſed ipſi quoque ſoni: præcipuè tamen chordæ. in quas nunc ordine Notulas meas ſtringo, & *Vocalem* propriè Lyram facio ridente Cynthio, non ringente. BI ſibi *Suprema* habeat, & acutè tinniat: LA *Proxima Suprema*, & valgè lallet: SOL *Tertia*, & ſuauiter perſonet: FA *Media*, & temperatè ſuccinat: MI *Quincta*, & blandè mulceat: RE *Sexta*, & tremulè perſtrepat: VT *Vltima*, & fuſcè mugiat. In figurâ pleniùs planiusq; commonſtro. quâ ſimul antiquum loquendi modum, tenebris necdum penitùs euolutum, conabor illuſtrare.

Duo



Duo hîc conſidero : neruorum quibus aptaui Notas ſitum ſiue ordinem;& inſtrumenti vniuerſam formam . *Ordinē* hautquaquā temerè , ſed ad vſum modumq; veterem redegi, Neten ſcilicet, quæ infimo ſono inſignita cernitur, à dexterâ primo loco, ſiue à pectore proximè , ac deinceps reliquas ritè tendendo. Ad vſum dico veterem: & confirmo formulâ , quam irradiatum eo, priſcâ. Etenim ſi inſtrumenti dexterum cornu ſumpſeris , pectoriq; ad pſallendum applicueris: ecce tibi aduerſam eius, quam expreſſam , vides, faciem, læuæ ; auerſam , dexteræ obiectam.

Cùm autem chordæ in auersâ illâ parte, ſiue tergo, tanquam *foris* tenſæ; manauit, quantum mihi quidem perſuadeo, vſus olim loquendi, vt, ſi manus quidem dextera chordas pleƈtro impelleret, id FORIS CANERE: ſi ſoror eius læua, ſine pleƈtro, CANERE INTVS diceretur. Recipiebatur enim læua, & in ipſo inſtrumento velut condita *intùs* fides carpebat. Pleƈtrum autem in dexterã propterea reieƈtum; eiq; proprium fuit; quòd *fòris* & in occipite libertas oberrandi, nec à lateribus lyræ impedimentum vllum eſſet. Quòd ſi verò pleƈtri loco arcus etiam adhibitus (vti numiſmata antiqua, ſed & Horatius in Arte cõprobat:

Sunt deliƈta tamen quibus ignouiſſe velimus.
Nam neque chorda ſonum reddit, quem vult manus, & mens:
Poſcentiq; grauem perſæpe remittit acutum;
Nec ſemper feriet quodcunque minabitur ARCVS:)

Nonne manifeſtum euadit, nõ per me-

dium chordas demiſſas limbum ſiue marginem vtrinque reliquiſſe ; ſed ad latus, vti dixi, affixas? Aliàs, quî obſecro ab arcu reciproco terantur aut trahantur? Periculum facito, ni vero vicero, Marſyas ego, in pœnam cecinero & cecidero; tu verò

——— *eris mihi magnus Apollo.*

Sed ſeriò. Ad Aſconij ſupra citatum locum: *Cùm canunt Cithariſtæ, vtriuſq; manus funguntur officio. Dextera plectro vtitur, & hoc eſt* FORIS *canere: Siniſtra digitis chordas carpit, & hoc eſt* INTVS *canere,* hæc ab ingenio meo dicta ſunto. quæ Iudicij tui HENRICE FARNESI, vir Clariſsime, & morum, ſcientiarumq; veterum; in primis Sacrarum Aegyptiorum (*quos ſolos diuinarum rerum conſcios* Macrobius ait) litterarum Reſtitutor, L.M. facio: vt ſi à te tali hæc probentur, ſpẽ iã concipiam alicuius famæ; ſin reprehendantur, fructum ſentiam beniuolæ correctionis. *Formam* nunc contemplor. quam denuò tibi exprimo, rudem ſcilicet & impolitam, veram tamen atque

veterem; vt τοῦ ἀχόρδου φόρμιγγος tectam ſpeciem, non quidem ab ingenio meo radiantem, ſed aliunde lucentem reflectam; oculiſque remotioribus accreſcentis Iuuentutis clarè ingeram. Lyram itaque ſi demptis neruis exporrigas cornuaq; diducas, arcum ipſum, quo Antiqui vſi, efformes. hunc contrà ſi tendas, & cornibus penè coëuntibus contorqueas, Lyram reſtituas.



Cæterùm è marmoribus, nummis, ſignis, atque etiam Scriptoribus ſcio variatum in formâ. Ex hiſce Iſidorum produco, & quieſco. Is lib. II. Orig. cap. XXI. *Forma Citharæ initio ſimilis fuiſſe traditur pectori humano; quod veluti Vox de pectore, ita ex ipsâ cantus ederetur; appellataq; eadem de cauſsâ. Nam pectus Doricâ linguâ* κιθάρα *vocatur. Paulatim autem* PLVRES *eius* SPECIES *ex-*

exſtiterunt: vt, Psâltria, Lyra, Barbita, Phœnices, & Pectides, & quæ dicuntur Indicæ, & feriuntur à duobus ſimul. Item aliæ autem & aliæ, & QVADRATA *formâ, vel* TRIGONALI.

CAPVT XIV.

Planetæ Lyræ chordis tribuuntur: Planetis Notæ. Septem Typi Harmonici.

LINEAM hanc ſequar; & iucundâ magis quàm neceſſariâ ſubtilitate, pauca etiam quæ antiquitùs tradita lectione comperi, aut inuentione nouâ mente concepi, non per guttas ductim ſtillabo, ſed impetu quodam effundam. Veteres Lyræ chordis (teſtantur id rei Muſicæ qui exſtant priſci ſcriptores: & non obliquè Poëta Venuſinus: *Muſa dedit fidibus* DIVOS) ſeptem Deorum ſtellis illuſtres orbes tribuebant. *è quibus* ſtellis *vnum globum poßidet illa, quam in terris Saturniam nominant. Deinde eſt hominum generi proſperus & ſalutaris ille fulgor, qui dici-*

tur

tur Iouis. Tum rutilus, horribilisq́ terris, quem Martem dicitis. Deinde ſubter mediam ferè regionem Sol obtinet Dux & Princeps & moderator luminum reliquorum, mens mundi & temperatio, tantâ magnitudine, vt cuncta ſuâ luce luſtret & compleat. Hunc vt comites ſequuntur, Veneris alter, alter Mercurij curſus. In infimoq́ orbe Luna radijs Solis accenſa conuertitur. Rationem priſci iſtius commenti attentiùs inſpicio; originemq́; eius non illubens eruo, è ſimilitudine quadam ſoni & ſitus. Cœleſtium ille orbium ſonus ſiue concentus à motu proficiſcitur. Duplici verò motu Planetæ feruntur: *Mundano*, ſiue præcipiti illâ cum Cœlo Vertigine; ad Dexteram (cum Aſtronomis loquor;) ab Ortu in Occaſum: & *Proprio*, quo retrò contrario curſu deflectunt ad Læuam; ab Occaſu in Ortum. Proprio, Luna velociſsimè, Saturnus autem ſenili & podagroſo quodam gradu tardiſsimè: & exteriores quique lentiùs mouentur. *Quoties enim (* verba Macrobij in fidei præſidium aduoco *) plu-*

res

res orbes intra ſe locantur; ſicut maximus eſt ille qui primus eſt, & minimus qui locum vltimum tenet: ita de medijs, qui ſummo propior eſt, inferioribus maior; qui vicinior eſt vltimo, breuior ſuperioribus habetur. Et inter has igitur ſeptem ſphæras gradum celeritatis ſuæ ſingulis ordo poſitionis adſcripſit. Ideò ſtellæ, quæ per ſpatia grandiora diſcurrunt, ambitum ſuum tempore prolixiore conficiunt; quæ per anguſta, breuiore. Mundano verò motu Saturnus contrà perniciſsimè, Luna femineo & teſtudineo greſſu lentiſsimè procedit. Hoc ſenſu Cicero in Somnio. *Et natura fert, vt extrema ex alterâ parte grauiter; ex alterâ autem acutè ſonent. Quam ob cauſſam ſummus ille cæli ſtellifer curſus, cuius conuerſio eſt concitatior, acutè excitato mouetur ſono; grauiſsimo autē hic Lunaris atque infimus.* Diffusè atque curiosè ad hunc locum Commentator. Secundum duplicem itaque hanc differētiam dupliciter Planetarū orbibus chordarum PALLADEM iungo.

Si motũ *Mundanum* reſpicio, orbi { Saturni, *Hypaten*. Iouis, *Parhypaten*. Martis, *Hypermeſen*. Solis, *Meſen*. Veneris, *Parameſen*. Mercurij, *Paraneten*. Lunæ, *Neten*. }

Si *Propriũ* Planetarũ: { Saturni, *Neten*. Iouis, *Paraneten*. Martis, *Parameſen*. Solis, *Meſen*. Veneris, *Hypermeſen*. Mercurij, *Parhypaten*. Lunæ, *Hypaten*. }

Sic vtrobique acumen atque grauitas chordarum orbiumq; reſpondeant ex aſſe. Priorem tamen comparationem probem magis & complectar, Tullij inprimis cauſsâ, quẽ (licet cum diſcrimine aliquo) huc traho. Is ex motu *mũdano* orbium ſonos penſitans, in eodem Somnio inſomnis de ijſdem orbibus ſcribit: *Septem efficiunt diſtinctis interuallis ſonos: qui numerus rerum omnium ferè nodus eſt. Quod docti homines*


NERVIS *imitati, atque* CANTIBVS, *aperuerunt ſibi reditum in hunc locũ.* Cur verò *neruis imitati,* & diſtinctè *cantibus?* Ratio in procliui: vt ſcilicet per iſtos ORGANICAM, per hoſce HARMONICAM; & vtrique huic parti vim quandam diuinitatis à cœleſti origine ineſſe intellegas. Itaque Flos ille illibatus populi, Suadæq; medulla à nobis & pro comparatione noſtrâ ſtat; cũ diſcrimine tamen aliquo, vt dixi. Diſcrimen iſtud: quod ſeptem neruos, non ſeptem Planetarum orbibus: ſed, ſtelliferâ hiſce ſphærâ adiunctâ, octo curſibus cœleſtibus tribuat: velitq; Mercurij Veneriſq; globos, vt velocitate motus, ſic ratione ſoni conuenire. Ait enim: *Illi autem* OCTO CVRSVS, *in quibus eadem vis eſt* DVORVM (ſuppoſititium eſt *modorum*) SEPTEM *efficiunt diſtinctis interuallis* SONOS. Quod clariùs Macrobius commentarij ſui face illuſtrat: OCTO *ſunt igitur quæ mouẽtur; ſed* SEPTEM SONI *ſunt, qui concinentiam de volubilitate conficiunt. propterea quòd Mercurialis & Venereus*

nereus orbis PARI AMBITV *comitati Solem, viæ eius tanquam ſatellites obſequuntur: & ideò à nonnullis Aſtronomiæ ſtudentibus eandem vim ſortiri exiſtimantur*. Itane multiloquus in re fortaſsis alienâ videor? tempero, & ſeriò nunc tibi obtempero. A Chordis, ad Notas meas tranſmigro, eaſdemq; ſub cõparationem quoque mittens, orbibus adſcribo: orbi *Lunæ* VT: *Mercurij*, RE: *Veneris*, MI: *Solis*, FA: *Martis*, SOL: *Iouis*, LA: *Saturni*, BI. Quod concinnè ita à me factum, anteceſſus (donatum Latio verbum vſurpo) ſermo Nomenclatoris vice ſuggerat, & ſi remotiori ſimilitudine lubet vti, magis idipſum probes. Etenim, Planetæ ſicuti hebdomadam, ſiue ſeptenarium dierum circulum intermino velut lapſu voluunt; ſinguliq; , diurni quadam imperij vicisſitudine primatum obtinent, & præſunt primæ horæ (vnde & nomina dies ſortiuntur:) ita ſeptem hæ Notæ vniuerſam HARMONICAM LECTIONEM in ſeptẽ à Muſicis Typos diuiſam abſoluunt.

Typos illos voco CERTAM, ORDINE SERVATO, NOTARVM DISPOSITIONEM, LITTERIS INDICIBVS DISTINGVENDAM. De Litteris autem mox ſubiungam: earumque, vti præſcripſi, vſu. Nunc Typos reſpicio, quos ſeptem ingenioſa Muſicorum induſtria nobis dedit, non ſimplices illos quidem, ſed, ad noſtrum propriè SECRETVM, vtriuſque Generis HARMONICI copulâ, ceu Noctis Dieiq; nexu geminatos. in quibus ſingulæ meæ Notæ, Planetarum exemplo, obtineant primam ſemel, atque adeò ſingulas ſedes. Quod primam, figuris ipſis oſtendo, oculiſq; ſubijcio: qui volet, ſedes reliquas inſpiciet, & ſeptiiugo Notarum plauſtro percurret.


TYPI HARMONICI.

I.




Vt.

II.




Re.

III.




Mi.

IV.




Fa.

V.




Sol.

VI.



La.

VII.



Bi.

CAP.

CAPVT XV.

Notæ cum ipsâ vitâ humanâ comparantur. Gradus ætatis. Taciturnitas & Garrulitas expenſæ. Cenſorinus obiter emendatus. Dies Luſtrici. Nominalia.

QVEMADMODVM ij, quos caſus aliquis in gurgitem detulit, arbitrium amittunt ſui & aguntur violēto raptu: ita ego vix pedem in diuinis illis æternisq; corporibus poſui, & velociſsimo illo motu transferor, nec cōſiſtere queo intra ſermonis mei fines. Num inuitus? ſi cum diſpendio id tuo fiat Lector: lubens, ſi cum voluptate aliquâ aut cum fructu. Nec ego tamen haut longulê me abduci patiar; ſed vim mihi ipſe inferens, in confinio cœleſtis motus, in Temporis inquam cōſideratione ſtilum firmabo. HARMONICA LECTIO quòd ſeptem Notarum curriculo rectè abſoluatur, ſimilitudine id fieri humanæ vitæ haut temerè dixerim, quæ tanquam modulatio quædam atque harmonia ſeptena

rijs ſpatijs voluitur ad præfixum ſuum finem. Cenſorinus ad rem, lib.de Die Natali, cap. 11. *Alter autem ille partus qui maior eſt, & maiori numero continetur, ſeptenario ſcilicet, quo rota humana* (in veteri libro eſt, *quo vita humana.* coniungam, & litterâ mutatâ legam: *quo* TOTA VITA HVMANA) FINITVR, *vt Solon ſcribit, & Iudæi in dierum omnium numeris ſequuntur, & Hetruſcorum libri rituales videntur indicare.* Macrobius lib. 1. in Somnium Scipionis: *Hic denique eſt numerus* (ſeptenarius) *qui* HOMINEM *concipi, formari, edi, viuere, ali, & per omnes gradus* TRADI SENECTAE, *atque omninò* CONSTARE *facit.* Gradus autem illos etſi variè Antiqui diſtribuerint; tamen *ex his omnibus* (verba Cenſorini ſunt) *proximè videntur acceßiſſe naturam, qui* HEBDOMADIBVS *humanam vitam emenſi ſunt. ferè enim poſt* SEPTIMVM *quemque annum articulos quoſdam, & in his aliquid noui naturâ oſtendit.* Quod ipſum latiùs explico & diduco. *Primâ* annorum *hebdomadæ.*

made. (licet vti alienis verbis) *dentes qui primi emerſerant, alijs aptioribus ad cibum ſolidum naſcentibus cedũt*, niueumque gyrum gingiua regignit, & effreni illi membro vallum opportunè circumducit, nequid temerè blateret atque diuulget. Vnde congruenter, *petulantiæ verborum coërcendæ* VALLVM *eſſe oppoſitum* DENTIVM, *luculentè* (apud Agellum Homerus) *dixit: vt loquendi temeritas, non cordis tantùm cuſtodiâ, atque vigiliâ cohibeatur, ſed & quibuſdam quaſi excubijs in ore poſitis ſepiatur*. Penitùs hoc neceſſarium: inprimis, in ipſo velut limine Rationis & ingreſſu, quod Decima illa Muſa ait, domitos habere oculos, manus, ORATIONEMQ. Et ſapienter *Primus Philoſophiæ*. (Pythagoram Punicus ille ſcriptor intellegit lib. 11. Florid.) *nuncupator & conditor nihil prius diſcipulos ſuos docuit quàm* TACERE: *primaq; apud eum meditatio ſapienti futuro, linguam omnem coërcere, verbaq;, quæ volantia Poëtæ appellant, ea verba, detractis pinnis, intra murum candentium dentium*

 premere.

premere. Prorſus, inquam, hoc eſt primũ ſapientiæ rudimentum, meditari condiſcere, loquitari dediſcere : vt ſic paullatim lingua dometur ; ſupellex illa muliebris in promptuario rationis condita ad vſum præparetur ; poſsitq; qui volucrem vocem geſtitat, *& cùm dicto opus eſt, impigrè dicere : &, cùm tacito opus eſt, libenter tacere*. ſic tandem *non minùs opportuni ſilentij laudem; quàm tempeſtiuæ vocis teſtimonium* conſecuturus. Fidem aurium tuarum appello, Quid ineptâ garrulitate odioſius ? quid moroſo ſilentio ſtolidius? Non Locutuleium, cũ priſcis tantùm, aut Blateronem, aut Linguacem ; ſed rabidum iure meritò dicas, qui nullo rerum pondere innixus, verbis autem humidis, & lapſantibus defluens, obſtrependi finem neſcit: fatuum ſimiliter, qui neſcit obmuteſcendi. *Magna res eſt vocis & ſilentij temperamentum*. O illum prudentē! qui cum Plautino Periplectomene verè efferre poteſt:

Commemini & meæ orationis iuſtã partem perſequi :

Et

Et meam partem itidem tacere, cùm aliena oratio eſt.

Talem me tibi, quiſquis es, probare ex animo cupio: talem etiam optare te mihi poſſum; formare niſi hiſce monitis, non poſſum. *Secunda hebdomade* vox ipſa gallulaſcit, ramus roboaſcit: & ad ſummam ætas neceſsitate pubeſcit. *Tunc enim moueri incipit vis generationis in maſculis, & purgatio feminarum. Ideò & tutela pueris, quaſi virile iam robur, abſoluitur: de quâ tamen feminæ, propter votorum feſtinationem, maturiùs biennio legibus liberantur. Tertiâ,* primo lanuginis flore adumbrantur genæ, terminuſq́; creſcēdi ſtatuitur. Hoc nos ſpatium biennio iam tranſuecti, cō citato ferimur curſu ad deſtinatam & ab æterno præfixam metam. Tu me Aeterne conſerua ne in lubricâ hac viâ vacillem & labar: dirige, ne à vero ſcopo, à te Summo Bono aberrē. Da rectùm potiùs, quàm longùm currere; recta diſcere, recta facere, in honorem tibi, mihi in ſalutem. *Quartâ,* habitudo vniuerſi corporis & robur vi

rile ad benè fortiterq; agēdum formatur, & firmatur. *Quinctâ*, natorum & poſteritatis amore connubia fiunt, quæ tu Lector, ad lectionis tuæ fructū irrigabis riuo quē aliàs è ſcatebrâ Antiquitatis duxi. *Sextâ*, Ratio mentis perfectionem ſuam in corpore iam cō poſito capit: Prudentia adquiritur, & rerum vſus. *Septimâ*, & *Octauâ*, dotes animi, linguæq; facundiâ in flore ſuo vigent. *Nonâ*, mala ætas, quam Veteres ſenectutem dixêre, occupat, fugiuntq; corporis pariter animiq; vires. *Decimâ*, oſtendi incipit publicus generis humani finis, annorumq; pondere grauatum hominem, cui ob res plurimas peſsimas odio eſſe vita incipit, ad exodium vitæ Parca non intēpeſtiua perducit. Atque hic portus humanæ nauigationis. *in quem* (vt rectè Seneca) *ſi quis intra primos annos delatus eſt, non magis queri debet, quàm qui citò nauigauit. Alium enim, vt ſcis, venti ſegnes ludunt ac detinent, & tranquillitatis lentiſſimo tædio laſſant: alium pertinax flatus celerrimè perfert.* Diuiſionem

illam

illam à me factam vno alterove teſtimonio firmo. Cenſorini ex ſententiâ Empedoclis referētis, *In prima hebdomade dentes homini cadere; in ſecunda pubem apparere; in tertia barbam naſci; in quarta vires; in quincta maturitatem ad ſtirpē reliquendam; in ſexta cupiditatibus tentari; in ſeptima prudentiam linguamq; conſumari; in octaua eadem manere; in nona illa declinare; in decima hominem fieri mortimaturum.* Macrobij, lib. 1. in Somnium Scipionis, cap. VI. qui vt annos taceam, menſes eodem redigit: *Poſt ſeptem verò menſes dentes incipiunt mandibulis emergere. Et poſt bis ſeptem* (in tranſitu verum verbum reſtituam) *ſtat ſine caſus timore. Poſt ter ſeptem, ſonus eius in verba prorumpit. Et poſt quater ſeptem, non ſolum ſtat firmiter, ſed & incedit. Poſt quinquies ſeptem, incipit lac nutricis horreſcere, niſi fortè ad patientiam longioris vſus continuata conſuetudine protrahatur.* Volaterranum adijcere quis vetat? ſcribit ille: *Multa inſuper, quæ natura proueniunt huic* (ſeptenario numero) *ſunt accommodata. Nam ſepte-*

narij menſis partus legitimi ſunt. Poſt partum deinde ſeptimo menſe dentes emittuntur: ſeptimo deinde mutantur anno Annorum quoque hebdomada ſecunda poſt pubertatem antiquitùs pueris nomina imponebantur, cùm anteà dubiam putarent vitam. Eadem pubertatem vtrique ſexui defert: tertia adoleſcentiæ lanuginem: quarta virilitatem. Hactenus quidem ille. Quòd verò ait, *annorum hebdomada ſecunda poſt pubertatem antiquitùs nomina pueris imponi*, mirêre vnde hauſerit. Itane tota pueritia, quæ nominum multitudine maximè gaudet, ſine nomine? quî infantem nutrix, quî filiolum parentes compellarunt? A primo pueri cuiuſpiam nomine ſi ante lucem ire occipias, concubium ſit noctis priuſquam ad poſtremum perueneris. Simul ſentiam, & Luſtricũ diem, quo nomina pueris olim dabant, & fata ſcribenda aduocabant, primâ dierum hebdomade, aut poſt eam ſtatim adſeuerem celebratum. Cuius rei teſtem Pompeium Grammaticum laudo; *Luſtrici dies*, inquit, *infantium appellantur: puellarum*

puellarum OCTAVVS, *puerorum* NONVS; *quia his luſtrantur, atque eis nomina imponuntur.* Vnde, ſicuti Scaliger ad Auſonium docuit, *Nominalia etiam dicta.* Volaterranus tamen Aegyptios reſpexiſſe viſus, quaſi ij quòd quarto decimo anno mares; immò (vti ferunt) feminas circumcidere ſoleant, tunc etiam nomina dederint. Sed ad rem. HARMONIA hominis iſtiuſmodi interuallis conſtat: & per hoſce velut gradus gradimur, & abimus in communem locum. O illum beatum! qui moriens & vitæ Muſicam finiens in auribus poſterorum ſonum reliquit Modeſtiæ ac Virtutis. Beatum! qui repagulis atque cuſtodijs corporeę molis liberatus, & in æterna illa templa penetrans, ſuauiſsimum ſeptem orbium concentum, humanis auribus incognitum percipere coràm & intelligere meruit.

CAP.

CAPVT XVI.

Tranſitio ad Litteras. in ijs duo conſiderari: quam vnaquæque deſignet Notam, & in qua linea aut interuallo. Prius abſolutum. Inibi de duplici Genere Harmonico dictum.

DE Notarum numero & nominibus ſatis dixi: LITTERAS aggredior, per quas in tabellâ Notæ inueniuntur. Eæ ſeptem: A, B, C, D, E, F, G. Muſicis etiam noſtris notæ hodie atque vſurpatæ, pari numero, diſpari vſu. illis ad ſenas & vulgares illas Notulas: mihi verò ad ſeptenas meas, longeq; faciliùs commonſtrandas. Quod ne longo potiùs verborum circuitu, aut ſimilitudinibus etiam à Kalendario noſtro, atque aliunde non ineptè tractis; quàm reapſe probem, etiam atque etiam cautio eſt. In *Litteris* itaque duo conſidero: *Quam vnaquaque Notam deſignet*: &, *in qua linea, aut interuallo*. Priùs diſtinguo pro duplici Genere Harmonico: *Veteri*, quod

ſolum

ſolum in Mediâ Muſicâ vſurpatũ agno ſco, quodq; vulgari vocabulo *Durum* dicitur; & *Nouo*, quod à noſtris reſuſcitatum nomen *Mollis* meruit. Hoc diſcernas, *ſi quando Littera B hemitonium deſignans expreſſa eſt:* Iſtud, *ſi quando non expreſſa*. In *Molli* itaque A connexam habet MI: B, FA: C, SOL: D, LA: E, BI: F, VT: G, RE. In *Duro* A ſibi adſciſcit LA: B, BI: C, VT: D, RE: E, MI: F, FA: G, SOL. Quam differentiam hemitoniorum variata diſpoſitio genuit. Conſtituerunt enim Muſici

PRO GENERE ANTIQVO:

Inter	A	&	B	ſic inter	MI	&	FA HEM.
	B		C		FA		SOL *Tonũ.*
	C		D		SOL		LA *Ton.*
	D		E		LA		BI *Ton.*
	E		F		BI		VT HEM.
	F		G		VT		RE *Ton.*

PRO NOVO:

	A		B		LA		BI	*Tonū.*
	B		C		BI		VT	HEM.
Inter	C	&	D	ſic	VT	&	RE	*Ton.*
	D		E	inter	RE		MI	*Ton.*
	E		F		MI		FA	HEM.
	F		G		FA		SOL	*Ton.*

Diligens Lector attentiùs hæc conſiderabit, & cum ijs, quæ ſuprà de diaſtematis Muſicis diximus, vtiliter cóferet.

CAPVT XVII.


Poſteriùs quoque explicatum, de Notarum in tabellâ inuentione.

IN *quâ lineâ, aút interuallo* ſupereſt. de quo vt breuiter dilucideq; dicã, ſeriò repeto, HARMONICAM vniuerſam Vocibus abſolui: cognoſcendis Vocibus Notas eſſe: Notis, iſtos Litterarum characteres. quorũ quattuor ſolummodò exprimuntur: B, C, F, G. Nec eæ ſimul tamen aut coniun-

ctim


ctim; ſed ſingulæ aut binæ, in principio linearum. Quâ imagine, aut formâ? barbarâ & ignotâ propemodum ex auorum partim, partim nupero ac recenti vſu ſcriptionis. C in formam velut ſcalarum paſsim ſcribitur, pro Graui, Mediâ, & Acutâ Voce: in vtroque Genere: in primâ, ſecundâ, tertiâ, & quartâ lineâ; duabus Notis Antiquis, quas quadratas promiſcuè notabant compoſita.

Vox Acuta. Mediæ. Acuta. Mediæ.



F, tribus ſimiliter Notis, pro Graui Voce tantùm: in vtroque Genere: in tertiâ, & quartâ lineâ.


Graues.



vel


vel compendij cauſsâ ſemicirculo læuo cum gemino adiecto puncto, ↄ: G ſimilitudine quadam veræ formæ, pro Voce Acutâ tantùm : in ſecundâ lineâ : in vtroque Genere. ſic,

Acutæ.



Denique interdum B, ſed, noſtram quidem ſi rationem ſcribendi inſpicis, ſine velamine vllo aut laruâ, in Genere tantùm Antiquo, cuius proprium ſignum eſt : in omnibus lineis, & interuallis; ſed cum aliquâ ſemper priorũ : vti figuræ demonſtrant. Reliquas nõ notatas Litteras per haſce quattuor ſic noſces. Ab Litterâ indice, ſi aſcendẽdum eſt, ſecundum Alphabeti ordinem ſepties primas numerato, & ſi vltrà eundum, iterato : ſin deſcendendũ, cancer eſto, & in contrarium ito; ſed ito, id eſt gradatim, à lineâ ad interuallum, ab interuallo ad lineam, & ſic dein-

deinceps. Si ſalis aut tranſilis, erras & confundis totum greſſum. Manuductor nunc ego tibi per exemplum ero, vt firmiùs figas pedem & inſiſtas.



In hac ecce figurâ plures tibi Notæ cognoſcendæ; ſed cognoſcendæ per Literas. quas ſingulas à C expreſſa velut per ſcalam quandam ſcandas ordine, & Notarum nomina exaduersùm LEGAS.

C ---------------- *Vt*
B ---------------- *Bi*
A ---------------- *La*
G ---------------- *Sol*
F ---------------- *Fa*
E ---------------- *Mi*
D ---------------- *Re*
C ---------------- *Vt*

Atque in hunc modum in reliquis om nibus

nibus Litteras ſingulas erues : per Litteras, Notas : per Notas, Voces, quæ HARMONICAE LECTIONIS ſumma eſt.

CAPVT XVII.

Quæ de Litteris hactenus dicta, quomodo per compendium cognoſcantur.

TAMEN rupinas & ſenticeta hîc nonnemo clamitet, & viam ſcrupoſam dixerit hanc doctrinam. Quis obſecro, niſi qui ab ingenio nudus, nullaq; ſcientiæ fulturâ ſubnixus eam inierit? cui, vt, quantum conditio permittit Artis & natura, ſubueniam, nouam lenemq; ſemitam ſterno per eadem hæc præcepta. Sequere & audi. Notarum ordinem ſurgentem & cadẽtẽ exactiſsimè fac calleas, magis (Plauti iocus eſt) callum quam prugnum callere ſolet: & Tonis Hemitonijsq; ritè obſeruatis intendas Vocem, aut remittas. Deinde, cantiunculâ propoſitâ, à ſigno ſiue Litterâ notatâ ad Notam reſpon-

ſpondentē tranſeas: hinc, ad reliquas, neglectis Litteris, Notas. Facilè id quidem in Genere *Molli*, vbi in limine ipſo linearum *b* expreſſa inibi canendum eſſe FA, exerto velut digito mōſtrabit. In Genere verò *Duro* differentia eſt trium harum Litterarum: C, F, G, quarum per iſtam SOL, per illam FA, per hanc denique SOL ſine alio notore cognoſces. Ad ſummam, vbique Litteram ſignatam conſule, Notā erue, proprio nomine & Voce cōpella, ad comites te proximas, ſuperas & inferas ducet haut difficilis, vix rogata. Cautionē tamen hanc adhibe, vt ſi inter canendum cum comitatu litteræ ſiue ſigni cuiuſpiam Nota obrepſerit, eā nouo quodam vocis affatu, tonum cōmutans, compellabis.

CAPVT XIX.

Ad Tempora ventum. ea definita, & diuiſa: cognoſci à formis. Formæ quando, & à quo inuentæ. Præmiſſum aliquid de Temporibus antiquis. Contrapunctum.

PRORAM meæ ſcriptionis nunc verto, & panſis velis ad Notarum *Tempora* curro, in quibus maior quædam difficultas, ob longiorem vſum; ſed elegantia & dulcedo totius artis, ob varietatem. quæ in Muſicâ, quod colorum diuerſitas in picturâ, format, adumbrat, & adornat vniuerſum melos. Tempora, quædam quaſi aromata ſunt, quæ condiunt: quædam gemmulæ, quæ reſplendent: quidam floſculi, qui odorem ſuauiter ſpargunt. Itaque ne inſipidam HARMONICAM hanc habeamus, de ijſdem Tẽporibus adiungam: ne ſine lumine, adiungam: ne malè olentem, adiungam. *Tempus* ab Antiquis cum tempore nobis fluxit, qui in cantu illud, ſiue carmine vſurparunt, & diſtinxerunt, in

Lon-

Longúm, *quo ſillaba talis producebatur*. cuius nota lineola producta ſiue Apex. Et in breue, *quo ſillaba talis contrahebatur*. cuius nota Sigma ſupinum ◡ Verſuum ſchemata indicant. Haut ineptè. Iſtîc enim lineola illa proiecta longitudinem quandam exprimit ſiue moram: hîc, curuata contractionem & breuitatem. Diſtinctionē hanc ad eandem cauſſam redigit Iſidorus lib. 1. Orig. cap. xv. *Ideò autem ſillabæ* LONGAE BREVESQ. *dicuntur: quia varias Vocum moras, aut* DVPLA, *aut* SIMPLICIA SPATIA TEMPORIS *habere videtur*. Scribe; *videntur*. Niſi placeat, *varia Vocum mora*. An verò ſillabas ſingulas canendas ſiue pſallendas his Temporum Notis olim diſtinxerint, haut auſim arbitrari. Quorſum autem, ſi pronunciatio ipſa (nobis nunc quidem corrupta) indicauerit ipſam quantitatem? Deinde, Pſaltriæ, atque Citharœdi qui canebant, qui modos, & carminum genera callebant; facilè ſingulos pedes, numeroſq; diſtinguebant. Notauerint


itaque, an non notauerint; certè vſurparunt, & dictiones ſingulas, ſillabas, atque ipſas interdum litteras non ſonorum varietate tantùm, ſed & Temporis affecerunt. Macrobium non inuitum huc traho, lib. II. in Somnium, cap. IV. *Quid in Tonis pro Litterâ, quid pro Sillabâ, quid pro integro Nomine accipiatur aſſerere, oſtentantis eſt, non docentis*. Hodiè verò in quâ parte curioſi magis ſumus? ne dicam curiones. Expendimus ſingulas voculas trutinâ illâ Temporis: & multiplici mēſurâ in ſua ſpatia partimur ſonos. Quod vt breuiter explicem, *Tempus* ipſum eiuſq; parteis ſub definitionem & regulam mitto. *Tempus* voco *certam & ordinatam Notarum in canendo: & pauſarum in non canendo menſuram formâ ipſâ expreſſam & diſtinctam*. Diuido in Integrū, *quod eſt ſpatium æqualiter adſurgentis ſimul & cadentis ſigni, & ad eundem terminum reuertentis*: & Diuiſum, *quod per partem integri durat, vel mediam, vel quartam, vel octauam, vel decimamſextam*. Exprimuntur autem hæc omnia (in

de-

definitione innui) totidem diuerſis *Notarum, Pauſarumq́* formis, quas circa Annum ∞. CCC. LII. Iohannes Murius, Philoſophiæ Lutetiæ Pariſiorum Profeſsor inuenit primus, atque diſtinxit. Poſterior ætas accuratiùs, & multiformi magis modo expreſsit. Notarum itaque formæ ſicuti eas hodie ad Temporum diſtinctionem ſcribimus, quinque: duæ candidæ, reliquę colore noctis:

Tempora, 1, $\frac{1}{2}$, $\frac{1}{4}$, $\frac{1}{8}$, $\frac{1}{16}$

Notæ,




Et quia nonnunquam plura Tempora Integra coniungũtur & coaleſcunt in continuum ſonum; repertæ quoque formæ, vt cum Comico loquar, ſpiſſigradiſsimæ,


Tardiores quàm corbitæ ſunt in tranquillo mari,

quibus Duo, Quattuor, Octo Tempora exprimerentur.


Tempora,
Notæ,



Punctum alicui Notarum annexũ eius dimidium reddit.



Aretinus, quique ſecuti, ſicuti Temporis hac varietate: ita & formis carebant. Sed Notas ſuas ruditer punctis quibuſdam in areâ quattuor linearum exprimebant: vti in libris paullò vetuſtioribus paſsim eſt videre.



Qui modus ad Murium vſque manſit: ita vt cum Artem Muſurgi iam excolere denuò inciperent, & Bicinia for-

marent,

marent, puncta punctis opponerent, vnde *Contrapunctum* etiam hodie appellatur.

CAPVT XX.


Pauſarum neceſsitas, explicatio, diſtinctio.

PAVSARVM Tempora minùs frequenter, non minùs eleganter aut neceſſariò vſurpantur: vt oblectamentum ſcilicet varietatis ſit; & in continuo aut longiori cantu reſpiratio. Frãgitur enim atque hebetatur producto ſpiritu Vox, ſilentio cohibita reuiuiſcit. Sine varietate autem delectatio mortua eſt. & rectiſsimè cuidam ſcriptum:

Non vno contenta valet natura tenore,
Sed permutatas gaudet habere vices.

Muſica imprimis, quæ ad hoc ipſum inuenta videtur, vt variaretur: variari autem non poterat niſi vt magis recrearet. Variari inquam, ſed certo quodam diſcrimine Silentij atque Soni. *Sicut maris cœliq; temperiem imbres turbinesq; commendant*: ita Vocis gratiam ſilentij

modus auget. Poſt tenebras nigræ noctis neſcio quî roſeus ille Phœbi radius magis delectet: ſic poſt ſilentium ſonus. Vocem aliquam audias naſcentem, creſcentẽ, luxuriantem, ac paullò poſt euaneſcentem. item aliam & aliam ſubrepentem in demortuæ locum, properantem impari ſpatio ad eandem quoque metam. Silentium itaque hoc *Pauſam* nominamus, & Temporibus ita diſtinguitur:



CAPVT XXI.

Tempora interdum mutari. Poſt concluſionem operis Votum vt locum hæc publicè reperiant.

TEMPORA ſic vſurpamus: atque etiam proportione quadam ſiue *Duplâ*, ſiue *Triplâ*, ſiue *Quadruplâ*, ſiue

etiam

etiam *Quinctuplâ* mutamus ſæpè, aut immutamus; idq; interdum in totâ cãtione, interdum in parte. Hoc ipſum quî, & quando fiat, vſus & attentio dabunt facilè, ſi tute illis dederis. Ego enim appoſitè in ternariâ hac capitum PALLADE, PALLADEM meam finio, fors etiam auſpicatò: non quaſi omnia, ſed quaſi præcipua dixerim. Reliqua enim quæ facere huc videntur, minuta & obuia pleraq;quæq; dici magis volunt, quàm ſcribi; oſtendi magis, quàm dici. Satis itaq; mihi ſit, viã hanc nouam aperuiſſe, ſtili acumine æquaſſe, ad publicã, remotis ſentibus, itionem. Vtinã mens ijs qui inſtituunt iuuentutem, hæc docendi! non deeſſet ratio aut modus inducendi. Maxima pars ſcientiarũ breuiarijs capimur: & in itinere ea via optima, quæ breuiſſima eſt; quę ſalebras orbitarum, impedimenta ſaxorum, conflugem imbriũ fugiens, in ſemitâ compendium monſtrat. Huc flectitè, qui ignaros rudium animos ad HARMONICAE LECTIONIS amœnitatem ducitis, ne

lon-

longiùs ducatis. Huc flectite, qui eodem ſponte itis, vt certiùs eatis. Inſpicite, immò expendite nouam hanc doctrinam, qui in veteri nomen iure profeſsi, quiq; nō profeſsi: vt quemadmodum loci & luci quidam ad vſum fructumq; publici: ita hoc ſcriptum fiat, in quo legat collegatq; pro ſe quiſque, quæ ad animi ingeniiq; ſui guſtū: quærat & inquirat, quæ ad ſciētiæ amplioris fructum. Sed vt concludam,

Inueniat quod quiſque velit: non omnibus vnum eſt
Quod placet. hic ſpinas colligit, ille roſas.

F I N I S.

W

BREVIARIVM OPERIS

Hîc ad calcem adiunxi Lector, memoriæ aut intelligentiæ iuuandæ. haut aliter quàm Coſmographi ſolent, *qui terrarum orbem vnius tabulæ ambitu circumſcribunt, aliquanto detrimento magnitudinis, nullo diſpendio veritatis*: vt ſcilicet in vnâ pagellâ, ſub vno oculorum ictu, medullam haberes ſiue argumentũ vniuerſæ LECTIONIS.

Sciẽtia Muſica, quæ argumẽtũ *Modulata Palladis* præbet, diuiditur

- In eam quæ Sonos inueſtigat, & cum ratione quadam diſponit ad concentum: quæq; generis nomine donata *Muſica* appellatur.
- Et in eã, quæ illos ipſos ſonos exprimit,
  - *Organica* quidẽ inſtrumentis.
  - *Harmonica*, Aſſa Voce
    - Sine tabella.
    - De tabella, (hæc *Harmonica Lectio* eſt) per ſigna, ſiue quaſdam Notas. Hæ triplices:
      - *Veteres*, q̃ olim in vſu.
      - *Media*, q̃ medio tẽpore.
      - *Nouæ* quę hoc noſtro æuo.

Notæ *Nouæ*, ſunt

- Partim certæ quædam litteræ, ſiue *Claues*:
  - G
  - F
  - E
  - D
  - C
  - B
  - A
- Partim aliæ quædam figuræ quæ ſimpliciter *Notæ* vocantur. Earum duplex munus:
  - Denotare Nomine *Sonos*. Nomina autem Notarũ hæc:
    - BI
    - LA
    - SOL
    - FA
    - MI
    - RE
    - VT

    Quæ *Modulatã Palladem* cõſtituunt.
  - Et Sonorum *Tempora*, Figura.

INDEX CAPITVM.

CAPVT I. Materies operis & inſtitutũ. Palladis nomen ad modulos rectè referri. Septenarij nummeri ſymbolum apud antiquos.

CAP. II. Harmonicã Lectionẽ partem eſſe Muſicæ. Muſica definita: eius gradus & accretio per ſonorum augmenta.

CAP. III. Muſica diuiſa. Quid Aſſa vox. Feſtus obiter correctus. Monitio ad Criticos.

CAP. IV. Harmonicæ & Organicæ comparatio. illã præcellere Antiquitate, Dignitate, Poteſtate. In prioribus id oſtenſum. Tibulli locus in priſtinum nitorem datus. Chordæ, digiti, ipſe pſallens Vocalis. Quid Vox.

CAP. V. Idem de Poteſtate probatũ recenti & miro quodam exemplo. De Amore ſalubriter quædam diſputata.

CAP. VI. Harmonicæ partitio, & membrorum explicatio. Quid Harmonica Lectio. Quid Legere, Quid Nota.

CAP. VII. De Notis Harmonicis Veteribus, Medijs, Nouis. Boethij laus & monumentum.

CAP. VIII. Diuiſio Vocis. Harmonicarum Notarum cauſſa, & numerus, hic nouè auctus.

CAP. IX. Adſtruuntur ſeptem Notæ. Tot eſſe Voces: id ex parte oſtenſum. Sonorum & Tonorum diſcrimen. ad hanc rem obiter quædã de Diaſtematis Muſicis. E Cenſorino error ſublatus. Vocalium numerus apud Græcos Latinosq; perpenſus. Iiſdem olim apud Aegyptios Græcosq; Voces articulari.

CAP. X. Amplius Pallas illa Vocum firmatur. Lyra antiquitus ſeptem chordarũ; ſed & inſtrumenta reliqua quæ chordis tendebantur. Fiſtula item ſeptem calamorum. Marcianus bis reſtitutus. Quid Intus, quid Foris canere: & vtrũ ſuauius. Aſconio leuiter manus adhibita.

CAP. XI. Plura de ſeptẽ Vocibus: eas regere affectus, præcipuè eſſe cauſſam Amoris. idq; variè oſtenſum. Superſtitio Romanorũ de Lepore. In Martiali diſcrepans lectio.

CAP. XII. Obiectio poſita & remota: Notarum & numerorum comparatio.

CAP. XIII. Nomina & ordo chordarum Lyræ. Aptata ijs Modulata noſtra Pallas.

De

De forma eiuſdem Lyræ, & ratione pſallendi. Formula vetus nouo lumine adſperſa.

CAP. XIV. Planetæ Lyre chordis tribuuntur: Planetis Notæ. Septem Typi Harmonici.

CAP. XV. Notæ cum ipſa vita humana comparãtur. Gradus ætatis. Taciturnitas & Garrulitas expenſæ. Cenſorinus emendatus. Dies Luſtrici. Nominalia.

CAP. XVI. Tranſitio ad Litteras. In ijs duo conſiderari: quam vnaquæque deſignet Notam, & in qua linea, aut interuallo. Prius abſolutum. Inibi de duplici Genere Harmonico dictum.

CAP. XVII. Poſterius quoque explicatum, de Notarum in tabella inuentione.

CAP. XVIII. Quæ de Litteris hactenus dicta quomodo per compendium cognoſcantur.

CAP. XIX. Ad Tempora ventum. ea definita & diuiſa: cognoſci à formis. Formæ quando & à quo inuentæ. Præmiſſum aliquid de Temporibus antiquis. Contrapunctum.

CAP. XX. Pauſarum neceſſitas, explicatio, diſtinctio.

CAP. XXI. Tempora interdum mutari. Poſt concluſionem operis Votum vt publicè hæc locum reperiant.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE